UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Caroli Scribani è Societate Iesv Philosophvs Christianvs

Scribanius, Carolus

Neobvrgi. Ad Danubium, 1618

urn:nbn:de:hbz:466:1-46524

Visual Library

h. 2724.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAROLI

SCRIBANI

è Societate

IESV

PHILOSOPHVS

CHRISTIANVS.



Collegii paderb: S. J.

NEOBVRGI,

Ad Danubium

Apud Laurentium Damhauſium.

M. D. C. XVIII. S. J.

APPROBATIO.

Hic Philosophus Christianus R. P. Caroli Scribani Prouincialis, è Societate Iesu, nihil continet, quod religionem moresq; offendat. Sed veræ sapientiæ viam commonstrat. Quare in salutem animarum, publico multorum bono, prodire poterit. Testor 8. Febr. anno 1614.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerp. librorum Censor.

ILLVSTRISSIMO,
Reuerendiſsimo
FREDERICO
BORROMAEO
S. R. E.
CARDINALI,
MEDIOLANEN-
SIVM
ARCHIEPISCOPO.

OLIM Poëtarum non vni decantatę Semiramis & Penelope auibus nutritę, vrſa Paris, canibus Perſarum Cyrus, apibus Plato, formicis Mydas, luſcinia Steſichorus Lyricus, Romulus & Remus lupa, quãtò felicior inluſtris Boromæa domus, altrix nutritiaq́; facta exulãtis Philoſophiæ Chriſtianæ? quæ totis nõ ſemel regnis pulſa, poſt emenſum orbẽ mariaque mæcenatem quærebat; reperit in magno Sanctoque Boromæo Carolo, virtutibus, ſanctimoniá, rerumque

gestarum gloria nulli secundo. fuit cùm se Roma Fabriciis, Curijs, Fabijs, Catonibus, Læliis, Scipionibus, Metellis, Seneca denique, Rutilio, Thrasea iactaret; Græcia Socrate, Platone, Aristotele, Solone, Lycurgo, Simonide, Theognide, Phocylide, Epicteto; Aegyptusque Trismegisto gloriaretur. vana nomina, rebusque veràque Philosophia vidua. & quid hæc sunt si non vmbræ ad magnum hunc Mediolanẽsem Solem? nec procul exempla petenda. vita, moresque docent quàm longè supra hos omnes, aliosque, Christianè etiam alteque cinctos, altè illi vera Philosophia insedisset animo. obijce *Paupertatem*. cum Beatis, ait, de felicitate certabo. nullæ apud eos opes, aurum, gemmæ, purpura, marmora cælis exulant. & non via ad illos sine auro, ad virtutem sine viatico est? iam qui ad naturam viuit quando est pauper; qui ad vota quando est diues? *Dignitatum ac nobilitatis abdicationem*. Piscator, ait, Petrus fuit. Stephanum nulli maiorum, sed lapi-

des

des nobilitarunt. Paulus operi locauit manus. Matthæus à telonio venit. Laurentium genus nõ fecit magnum, sed craticula & prunæ, & vox supra humanam, VERSA ET MANDVCA. & non Ioseph, ac nescio an non Christus ipse, lignariam exercuit? omnes vnius parentis soboles, vnius regni hęredes sumus. demum animus, & ille solus, nobilem facit, cui ex quacunque conditione, Lazari an Zachęi supra fortunam suam licet surgere. *Voluptatum carentiam.* Nemo ait excelsi ingenij ad hæc vilia, fœda, pœnitenda se demisit. certissimumque argumentum viri cælo nati est, ad blanda & in voluptatem trahentia non properare, non ire, non abduci. *Exilium.* Non sum ait vni angulo natus. hæreditas mea mundus est, & nemo volens exulat. semper enim Christianus mente cælum patriam suam incolit. ab hoc nulla illum fortuna, nulla tyrannis excludet. *Fortunæ insultantiam.* præoccupare, ait, hanc non tantũm quasi ex æquo, sed è superiore lo-

eo, adeoque & prouocare, Christianum est. & quis nesciat generosos animos aduersantibus roborari, secundis molleſcere ac frangi? experiamur inuicem; illa insultando, ego ferendo spectaculum facti magni Dei: nam quid verear coronas & triumphos, sudoris & sanguinis comites? veriùs. fortunatissimorum parentum felicissimos posthumos filios, beatissimæ æternitatis hæredes? *Vincula & carcerem.* auferamus, ait, nomen, non omnia spiritui patent? caro includitur? animus liber est, qui quoties volet, toties terrasque cælumque inambulat. iam quid manus patiuntur in neruo, quid pedes in compede, cùm animus in cælo est? *Tormenta & flagra.* nemo, ait, de delicijs in aciem procedit, & athletæ non segregantur ad strictiorem disciplinam, perque verbera & flagra ædificando vacant robori? tantò nimirum plus de victoria sperantes, quantò pluribus antè incommodis exerciti: aut fors minùs febris cruciat, milleque morborum genera, quę

diade-

diademata & sceptra elidunt? *Mortem* quanti, ait, illam contempserunt sub præmio laudis humanæ, etiam ancillæ & serui? & ego dubitabo tantùm erogare pro vero, quantum alij pro falso? non eripitur hæc vita, sed interrumpitur vt meliori reddatur nec consumitur, sed emittitur ad certiora spiritus.

Hæc Magnus Sanctusque Carolus à Christiana Philosophia suxerat; quæ illum opibus, honoribus, purpurâ, sceptro, minis, tormentis, morte, adeoque inferno maiorem, Cælitibus parẽ dederat. & quid aliud ab hac mente æternatura philosophia fœta auidaque sperari debuit, quàm vt quidquid hic magnum, tanquam perituræ comœdiæ tragœdiæque momentaneam scenam, Deo, origineque sua, regnoq; cui nata, indignum contemneret? Imitaris generosam hanc magni Patrui mentem, & Philosophicis felix insistis vestigiis, Philosophica nobilis palæstra, magis quia parens & ductor. Socrates, Cleanthes, Platones, Aristote-

les,Senecas non voueo.ad maiora vocas.ad Christianam Philosophiam;ad studia & scriptiones Christiano dignas:ad mores & vitam Magni Philosophi Boromæi Caroli.Macte animis, Philosophia quàm purpura & tiara nobilior,Ambrosiano Collegio quàm genere illustrior;hoc vno viues. erit cùm calcabitur aurum,gemmæ, purpura.nulla ætas docta tuorum exteret ingeniorum monumenta.perennatur his vita post cineres,sceptris & tiara iacentibus,&ad humilem arenam deductis.tantùm feliciter inchoatis insiste,& audenter magnas cogitationes protrude. ingens Te manet merces, terris cæloque reponenda.non excuram ad laudes,laudasse viuos damnasse est,& facere, non audire fortia Boromæi sanguinis est. ac licet magnorũ fluminum capita,aut calentium aquarum ex abdito fontes veneremur, de fluminibus tamen ferè & stagnis postrema veneratio est. ipsa se magnitudine sua commendant.genus & proauos non narro. nemo in nostram virtutem

tutem vixit; nec quod antè fuit, noſtrũ eſt. & quanto in errore ſunt qui hominem alieno laudant? qui in vite luxuriantes penicillo palmites, qui vuas marmoreas autumnum ſuum mentientes, qui in equo frænos gemmeos, in leone balteum? quid ad hominem quibus maioribus fluxerit? multum ſerit, plus etiam metit, aurea tectis pendent laquearia, argenteæ ſtant lãces in menſa citrea, cænat ſplendidè, veſtitur purpurâ, copioſi circumſtant ſeruulorum greges, adulãtium agmina, balneaque & fontes non tam exeſis, quàm exciſis ſaxis ſuſpenderunt rupes? quò hæc ad laudem? Quæ ad hanc faciant docebit Magnus, Tuus, patere, meusque iam Carolus. Hunc qui viderit interritum in periculis, cupiditatibus intactum, inter aduerſa ridentem, in ſecundis non elatum, in tempeſtatibus æquè ac in malacia placidum, ſemper ſui ſimilem, nunquam alium, non exclamet, Magnus hic vir, omnique calamo & ore maior? talem

nonnisi sęculis multis vnum alterumve, tanquam ætatis suæ phœnices videbis. quid miraris? interuallo magno nascuntur, reliqua in turbam nascentia, & bracteata quadam gemmeaque felicitate magna, nulla non dies protrudit. neque hos Philosophia promittit, sed fortuna fatuo plurimùm delectu, ac in improbissimum ferè quemque munificentior: plus auri, agrorum pratorumque, fluminum, nemorumq; possides? plus operę accessit. & propè, quod labyrinthum ingredientibus, quò altiùs se credunt, eò fortiùs implicantur; idem in opibus euenire videmus. non damno tamen aurum & purpuram. sed plerumque magnificētior sermo è grabato & panno nascitur: magis, fateor, è purpura nitet, quia rarior ex hac grandior exurgit dictio. nam vt magnum fit non habita non ambire, nescio an non maius circumfusa contemnere, nec illarum cōtubernio corrumpi. & sanè si res pondere suo cum Seneca metiamur,

non

non magnum argumentum est indolis magnæ aqua & panni: nisi quis non tam necessitate quàm voluntate hæc ferat. multorum namque latent sub illis vitia; ac ne paria pessimis darent, fortuna fecit: adde opes explicandæ instrumenta nequitiæ, adde potentiam, & da quod volet posse; discet quid sperare, quid timere debeas. Quo magis in Magno Carolo miramur purpuram, gloriam, opes, nec indulgentem illis, etiam calcantem. Imitaris hæc magna, & magnis animis submoues hæc fortuita, te ipso contentus, & ex te nascentibus animi bonis ad quæ te Philosophia ducit. non addam ex huius Schola plura, Collegiũ tuum Ambrosianum, & qualis post vaticanam nulla fors orbe toto bibliotheca, quæ non spondet diuite omnium voto? Tubæ hæc & tympana sunt reliquis orbis Christiani principibus. excitentur tantùm noui Themistocles non pœnitenda æmulatione ad noui huius Miltiadis trophæa. Ita vo-

neo. & purpuræ Tuæ, Magne Præsul, Magno Sanctoq; Carolo, Deoq; in Christiana hac Philosophia vota hæc

meque totum

æternùm S.D.Q.

CAROLVS SCRIBANIVS.

SCRIP-

SCRIPTIONIS CAVSSA

CARDINALIS Lanfrancus. condixerat hic mihi in biduum seriarū rerum tractationem. veni ad destinatum diem, cùm in Vaticani limine video grande aliquid submurmurantes medicos. ingredior. occurrit familia, gemitu & pertinaci silentio, manuum compressione, oculorum flebili iactatione magnitudinem testata. à qua nihil refero præter dēsas lacrymas, deiectas mœroribus genas tanquam graui vomere proscindentes, & suspirioſum illud, O, voceſque doloris indices. cœpi suspicari quod erat, & imo ducta anhelo pectore suspiria, & lacryma, qualis illisa tectis grando, vt cætera tacerent, loquebantur. conclaue ipsum Domini peto. video in lectulo alterius melioriſque vitæ res meditantem. & iam triste vltimumq; illud vale dixerat suis: in quo tanquam rupeo sarcophago dome-

domesticorum spes omnium consepultæ & emortuæ iacebant. steti attonito similior, vt in re tam præpropera, tam inexspectata. rectà exinde me ad ILLVST. ET REV. Scipionem Cobellucium, confero, ac vix data acceptaque salutatione. Itâne mi Scipio rapimur? ô spes fallaces. vbi sunt cogitationes nostræ? vbi ædium augustæ, hortorum amœna, diuite superboq; ludentia nemore? vix biduum interceſſerat cùm sponderet Lanfrancus Tuus annos plurimos athleticæ propior quàm purpuratæ valetudini. at nunc vbi spes & meditata in annos, audeo & sperata nõvno voto? ad quæ Scipio pro ingenita modestia & prudentia. Nihil hic nouum. vetera vides, & multorum iam ceruicibus trita. & ferè purpuratorum hæc semita, in medio magnarum cogitationum destituĩ. quantò feliciores vos, quibus, cùm omnis dies, omnis hora vltima, nihil inopinatum accidit. hic ego, Est vt dicis & inter felicitates omnium primas hæc mihi lacerna est, quæ Philosophiam hanc docuit, ridere humana, etiã calcare. gratulorq; in primis Tibi, qui

inter

inter purpuram doctaqùe volumina, plus philosophici quàm purpurati pulueris tecum trahis. ô vana, & solo non rarò promissorio opulentata verbo! paucidies sunt, cùm legerem hortos stantis tunc Lanfranci Tui, ridebamqùe diuites in ijs sponsiones, longissimam domino vitam mentientes. hyberna nemora, hybernas aues, rupes, fontes locis non suis: valles, montes lacus, torrentes, alibi omnia nata, hic ad naturæ inuidiam educta: & tacitus mecum, Quamdiu hæc? non destituent dominum ante extremam manum? addo, Cui hæc nunc domino aut hæredi posita? Vetera hæc, ait Scipio, & non vna in gente reperies. vbi enim non coluntur agri? nec multo frustra iam agri: sed & vrbes retro, & populi frequentes. quid quod & maria mortem non vno loco biberint? iam quanta oppida aut Oceanus diluit, aut fulmina decinerarunt, aut non mitior ignis, aut detotondit gladius, aut soli hausta ingluuie sine nomine iacent? imò non satis semel passa, semper metuenda hæc veniunt rediuiua malorum fœneratione. verè inquam ista com-

mercimo-

nemoras & elementis sideribusque docemur nihil hic perpetuare dies & nox inuicem vertunt, permunt. sol stitionibus annuis, luna menstruis quid non testantur? aër quàm vbique terrarum inconstans: hic albescit in niuibus, ibi concrescit in grandine, alibi imbribus grauidatur, nunc sudat in rore, nunc flumina emittit, arbitreris ingenti matrio nixu disruptis visceribus partum diffundere, dehinc substillum & denuo sudum, inde nimbis collidentibus tonitrua mugiunt, rutilant fulgura, fulmina præmicant, & sperata rursus serenitas. iam mari quàm fides infamis de flustris inquietum, de decumanis tranquillum nunc dormiri, adeoq; & mortuum arbitraberis, ignaua cubatione. & momento surgit in montes, credas Babylonem insurgere cælo, minasq; irasq; in terras Diuosq; iaculari. & sane vbi excreuerit indignatio, pilas paleasq; classes iurabis, ita toto iactantur elemento, vt momento propè eodem nunc nubes tangant, nũc vada. terra verò quàm varia? videas virentem, exinde flauam, mox & canam,

ac

ac tandẽ ſine veſte incultam, exſuccidã, non vno loco, eodemqùe. non multo graui temulentam vindemia. intuere deinde, hic montium ſcapulas deraſas, ibi valles nubibus ſuperſtantes, fontium alibi diuites venas, alibi arentes, fluminumq́ vias iam nullas. Fuit hoc, ait Scipio, iam inde à primordio. terrã cogita primitus virginem & caſſam, inde viritim per mapalia cultam, ac demum velut ex ſemine populi de populis, vrbes de vrbibus de regnis regna nata ſunt. & non vno poſt hæc loco iterũ mapalia, ſolitudo, & graue illud, Fuit. hic Troia, ibi Babylon, alibi Niniue ſtetit: eritq́ cũm hæc ipſa vrbiũ orbisq́ Domina audiat, Hic Roma, & cœlo ſurgentia tecta, & colles aliquando: denique, non vltimus decoctor ignis caſſam ac quaſi virginem reſtituet terram: bene, inquam ego. & vt ſemper ſoles prouidè & doctè. atque vtinam hæc altiùs inſederent animis, tinctaq́ purpura omnis ſeriis his foret cogitationibus: mortis in primis, & alterius vitæ. ô nimium funeſtis, à quibus omnis miſeratio & benignitas æternùm exulat. Quid

fiet

fiet, mi Scipio, cùm incomitata stabit purpura irreuocabili Aeternitatis sentẽti a ferienda? Dura vicissitudo. ignes & flammas qui cogitat Aeternas, & ante has sæua magni iudicis tribunalia, non contemnet quidquid perennaturis incendijs metuendum? nam quæ hæc fiducia, hic auro & honoribus circumfluere, & cũ Epulone purpura, & cum Lazaro Abrahæ sinum sperare? quis miles victoriam è delicijs & mensa sperat? quis de bombicum stamine, & molli pluma, palmam & statuas virtuti destinatas? de papilionibus & rustica casa in aciem itur & arma victricia victurumqùe terris nomen. de agresti aggere, de subacta maligna terra, dum decurritur campus, fossa struitur, testudo desiccatur, obdurescunt manus facilis ad arma, ad ferrum, ad triumphum via est. nam quid timeant, aut quid non sperent roboratæ manus, & per strictiorem disciplinam exercitæ, pugnæqùe iam antè ædificatæ? dura hæc fortè cuipiam videbuntur. mollia erunt, si præmia cogitamus victura æternùm: si nostra cum Christo componamus illius

innu-

innocentiam & pœnas, scelera nostra & mollem vitam. magis etiam, si ignes cogitamus nullo auo mitigandos, nullo finiendos. Hic Cobellucius. Hæc qui cogitet, alia omnia extra purpuram meditetur. ac illa iam donatus, publicè licet illam priuatim tamen saccũ & cinerem redolebit, maximè vbi ad adolescentiæ seriam disquisitionem animum adiecerit. nam quis in coccino & tyrio pro delicto supplicet? quis inter balnea hortosque amœniores inter spumantes falerno pateras, niuibus glacieque medijs æstibus natantes? cui ego, Planè tibi Scipio assentior. nam quid stolidius quàm purpuratis suspirijs cælum petere, coccineis lacrymis gloriam sperare? maximè cùm plus purpura coccusque suspiriatur quàm cælum; cum plus illis sudorum lacrymarùmq; quàm huic fluat, plus etiam sanguinis? & qua purpura præit ille qui sanguineo madidus sudore hortum rigat & prætorium, vt natare lauariquè iam possis non rosæ aut myrto sed conditoris tui sanguine, in vicem delictorum tuorũ prodigè fusi? aut qua purpura, spineo re-

dimitus

dimitus diadem ate, venuſtat genas? qua clauos, crucem, lanceam? qua ſpongiam, pannos, præſepe, monumentum? Ad quæ Scipio. Ingenti ad hæc animo opus, Neq; enim inchoaſſe ſatis. perſeuerantia coronatur, & hæc ſola, ne exemplo illorum qui naufragio liberati cùm repudium mari & naui dixerint, vbi reſederint fluctus timorq;, votorum obliti, pericula repetunt, redeamus ad vetera, canes ad vomitum: vt audiamus comminatoriũ illud zizania ignibus nata, fænũ fornacibus deſtinatum. maximè cùm circuit hoſtis, ſi quos poſſit aut concupiſcentia figere, aut opibus irretire, aut honoribus à vero detorquere neque tamen deſperandum, mi Scipio poſt lapſum, neq; nos pudet piget ve poſt morbos nouos, valetudinem iterare medicamentis nouis. bene ille cecidiſti non pudeat liberari. iteranda medicina eſt inualetudine iterata. neque ſtatim ſuccidendus aut ſubmittẽdus animus deſperatione eſt. ſed neque nimia fiducia reſtitutæ ſemel valetudinis ad morbi cauſſas properandum eſt. fatui qui valetudinis fiducia voluntaria ſe induunt ægritudine, & præteritorum

fortuita ſpe ad pericula decurrunt. prudentes, qui ſalutem, periculorum memoria operantur, nuſquam ſecuri, ſemper timidi. timor ſecuritatis dux eſt, periculorum præſumptio. verùm animis in his opus. fateor, at deeſſe illi non poſſunt futura cogitanti. quid enim huic arduũ euenire poteſt, non ſi morte propoſita ſanguis fundendus, aut in compede vita trahenda. videt, cùm ad humana & profundam gentilitatem ſe vertit: etiam in fœminis horum contemptum, videt Aſdrubalis vxorem deuolãtem in ignes, vt hoſtili ſe ludibrio eripiat, videt aliam aſpides pectori immittentem, aliam etiam marito ſociam & mortis ducem, & illam quæ à lupanaribus ſemeſam linguam in tyrannum expuit nè coniurationis prodat ſocios. & hi pertenuis naturalis cuiuſdam Philoſophiæ, in indoctâ ceruice & fœmineo pectore fructus ſteterunt, ſub præmio laudis humanæ. quid poterit Philoſophia Chriſtiana meliore iam Chriſti ſui purpura delibuta, ſudoribus lota, ſanguine balneata, vulneribus paſta, clauis roborata? formidabit pa

ti

ti pro veritate in salutem, quod alij affectarunt pro vanitate in perditionem? quod illi pro inanissimo nomine, non audeant hi pro nunquam morituro, & de æternitate cum Christo commensurando nam quid pertimescat animus Christo suo plenus, verecq; illius Philosophia excultus? Subiunxit Cobellucius. Nemo hæc dabit nisi Christianum Philosophũ olens, *vt liceat mihi cum Tertulliano.* Grande *Philosophici Christiani* pallij beneficium est, sub cuius vel recogitatu improbi mores erubescant. *quo tectus quidquid hic magnum proculcet vt paleam messoria vanno excussam vt non immeritò cum eodem exclamem:* Gaude pallium & exulta. meliorem te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cæpisti, *Verum dico Christianum, qui mores vitamq; Christi sui imitetur & exprimat: cuius vel occursu vitia suffundantur. quis enim æmulum suum cùm videt non patitur, ita improbitas virtutem speculata, si non remiserit exueritque omnem malignitatem, rubore tamen percutitur, & æ-*

mula

mulæ cõscientiæ tacita cõfessione errorẽ testatur. finierat. & ego. Sequamur, mi Scipio, magna hæc verba, magis etiam, locupletemus hæc rebus nihilo inferioribus. nam quid iam ambiat Philosophus tuus Christo plenus? purpuram? non morituram cogitat, contemnit scenecam. honores? miserum est altiùs tolli, vt decidas altius nobilitatem? anima & corpore pares, sola virtute distinguimur opes? magno viatico breue vitæ iter non instruitur, sed oneratur. delicias? victimæ ad supplicium saginantur, hostiæ ad pœnam coronantur. Et quid sunt hæc, omni momento dubia exspectatione pendula? quid Epulonia mensa & purpura cum præmiatione Lazari? delectus in manu nostra est. vtriusque possessione Christi exemplo excludimur. errare ille vt nec mẽtiri nec fallere potuit. Iam verò quid metuat Christianus Philosophus, agonẽ? quis miles sub oculis Imperatoris ductorisque sui non vltro pericula prouocat, hostem lacessit? & non vt aurum ignibus sic nos Domino discriminibus arguimur? tormenta? nobile spectaculum & Deo dignum

gnum

gnum. Christianus cum minis & tormẽtis compositus. aduersa non omnes viri fortes ærumnis suis floruerunt? tolle illa. nõ materiam subtrahes virtuti? & quod discrimen inter fortem & ignauum si aduersa sustuleris? hinc illud Poetæ:

Ingenium res
Aduersæ nudare solent; celare secũdæ.

paupertatem? felicior in itinere qui leuior incedit, & expeditior cælo est onere subtracto, docuit hoc Christus, & omnes propè magni, quos in exemplum omnis ætas adducit. vinculaq; solutus omnis imitator Christi Deo est. & non arctioribus manicis tenetur qui sceleribus constrictus iacet? tyrannos? iudex aliquando horum sedebit agonotheta noster. ridetqùe omne carnificis ingenium, memor alterius æui ignium qui membra dum vrunt reficiunt, dum carpunt nutriunt: sicut ignes ardentium vbiq; terrarum flagrant, nec erogantur: memorqùe futuræ felicitatis nulla æternitate ponendæ, nulla minuendæ. Verùm quid hisce diutiùs occupatissimum teneo, & publicè pecco qui à publicis auoco. vota

pre-

precesqùe amico persoluamus. dixerã, & mutua, beneuolentissima, amicissimaqùe, vt vsus noster ferebat, consalutatione sermonem finiuimus: indeipse ad Vaticanum suum, ego domum, & plenus iam morte tanti viri, plenus Christiano hoc alloquio, decurri ad chartam & calamum, ad mortem, demum ad operis huius reliqua. Memento quicunque hæc leges, vitæ huius & alterius. momento rapimur è purpura & delicijs ad tribunalia. ô non ad immites & nunquam morituros Epulonios ignes! ab auro & cogitationibus sæculorum magnis: non sit cũ Euangelico diuite; cui sudabat area, lassata gemebant horrea messibus fatigata. Memento doctissimi Cobellucij, memento & mei apud communem Dominum cui omnis hic ad lampada labor desudauit, vt priori huic Timoris, Virtutum alter, tertiusq; Amoris diuini tomus accedat. ita voueo animum tantùm, vires qùe otiumqùe concede Deus, gloriæ tuæ, salutimeæ, publico multorum bono.

SYLLABVS CAPITVM.

CAPVT I.

FINIS. Ad quem à Deo creatus homo

CAP. II.

PECCATA. Quibus excidit concessa gloria, pericula, remedia.

CAP. III.

PALATIA, AGRI, OPES. Inualidum fundamentum cælo, cui conditus homo.

CAP. IV.

HONORES. Veros non esse; nec homine dignos quos sæculum promittit.

CAP. V.

NOBILITAS. Vnam esse quam patre Deo, anima & virtutib præferimus.

CAP. VI.

VESTES. Peccati pœnam esse, indicem humanæ mentis, libidini hederam.

CAP

CAP. VII.

SCIENTIA. Eam solam nouem meri, qua cęlo præluditur.

CAP. VIII.

BELLA. Sceleribus his viam, regnis interitum, animabus perniciem parari.

CAP. IX.

MENSAE, VOLVPTAS. Naturæ has pertenues, cupiditati immensas esse, inferni præambula.

CAP. X.

DETRACTIO. Ingens præsensque toxicum odiorum bellorumq; materies.

CAP. XI.

ADVLATIO. Eò grauior, quò tectior: quo sub amici persona iucautos perimit.

CAP. XII.

MORS. Omni momento dubia exspectatione pendula, ne præfigamus, & paratos reperiat.

CAP. XIII.

IVDICIVM PARTICVLARE.

Pa-

Pariantur hic sceptra ligonibus, nullo purpurę aut grabati discrimine.

Cap. XIV.

IVDICIVM VNIVERSALE. Horrore & terroribus plenum, elemẽtorumque collisionibus prenotandum.

Cap. XV.

INFERNVS. Aeternis vstionibus miserandus.

CAROLI

CAROLI SCRIBANI E SOCIETATE IESV PHILOSOPHVS CHRISTIANVS.

CAPVT I.

FINIS, *cui à Deo conditi. Nam quidquid hic est, fini destinatus campus est. sequentur præmia, & clamat è specula conditor cui nati. Facilis iactura perituro rum est. Ignauus his pascitur. excelsior animus, & qui res sibi, non se rebus metitur, æternis gaudet. cogitat originis suæ locum, & se cœlestibus parem, perituris maiorem. Hanc mentem vera Philosophia imbutam, indignantem premi morituru, generosioreque calcatu spernentem abitura, assidua harum meditatio dabit.*

A QVID

QVID perituris immoraris anima, solaque vanitate grauidis mentem pascis? maiores quàm vt tam inanibus distendaris. viliora hæc sunt quàm vt tam nobili cõmisceantur. quid ad externa circumfers oculos, & admiratione tangeris rerum fors cras, fors hodie, adeoque hac hora & momento eripiendarum? indigna generi tuo sunt, & cælo cui natus. quid auri fulgore, argenti nitore, eboris candore perstringeris? sordent hæc omnia cui animus origini suæ Deo conjunctus est. quid statuas miraris incudibus, malleis, fornace & ignibus natas, è variatarum antè rupium crustis aut Aethiopicis scopulis mendicatas, defrustatas? quid

Distinctum vario nitore marmor,
Quod sub versicoloribus figuris

maculosa oculos hebetat superficie? horæ momentum intercurrit inter hæc stantia & cadentia, inter

su-

superbas ceruices inuidiam Babylonico vertici facturas, & vilem cinerem flamma lambente decoctum. Quid fontes suo an alieno molliter labentes, aut præcipitibus saxis salebratos, & exinde post subterraneam deliquationem puriùs salientes? quid flumina & maria crispis torosisque erroribus ludentia? quid fluctus irasque suas minitanti murmure aggerum arenarūque repercussu bibentes, sorbentesque? momento quo lusere nauigia loco sorbentur, nec inassueti tantùm irarumque fraudumq; ignari, sed quibus cum discriminibus pelagi non notitia modò, sed & familiaritas intercesserit, inenatabili profundo deuoluuntur. Quid agros in nemora diffusos, in pascua distentos, in hortos picturatos, in vineta & oliueta luxuriantes, in montes, colles, valles, prodigiosa varietate colluentes? momentum vuertendis satis est, & vbi se olim frequentia suffocabat, solitudo est:

vbi hortorum nemorumq; in mutuam æmulationem arte naturaq; proludẽte ingens gloria fuit, scrupeus ager & inhospita terra est, nullo vomere aut sarculo scindenda: & quæ retro supra Palæstinam fœcunda, supra niuosos Alpium vertices sterilescit. Quid de serpentum frontibus, de Indico ac Aethiopico mari aut fluminibus, de piscium cerebris verrucas pro gemmis piscatas admiraris? naufragæ videlicet sine his venustas neglectaque iacebat. Adminicula ab his petenda erant, vt fieret vir gladius mulieri, viro mulier. Quid myrto & illustriore quaque fronde, rosis liliis, lauro, violis ornatum vertice amplecteris? serua caput intaminatum. Christus illud cùm volet, coronabit in cęlestibus. Et quid floribꝰ coronaris, qui spinis nõ potes? aut ignoras Christum non ante immortalitatis corona donatum quàm in Pilati prætorio spinis coronatus fuit? & non antè glo-

Rege

Regem in cælestibus salutatum, quàm Rex Iudæorum in cruce proscriptus esset? quid gemmas amas falerno spumantes? quid niues glacieíque æstiua natantes crystallo? suauiùs bibitur siti prouocante, quæ contenta sedari est. quid suffita cinnamomo, thure, aut Arabię lacrymis sparsa? quid myrrhatas, pumicatas, malobathratas vestes, aut alicuius bestię recrementis fumigatas? pudeat ornatum ab illis mutuari domesticis diues. Quid purpura gloriaris & maioribus? solá virtute distinguimur. pari nâque sorte nascimur, pari cadimus; quod intercurrit vix comœdiæ scenam implet. Quid voluptates venaris magno luēdas? surdis auribus naufragos hos Sirenum scopulos enauiga: & Apostolum omnis ex seipso pudicitię magistrū, omniſq; impuritatis execratorem lege: vide quàm validè pro pudicitia in omnem libidinis lasciuiam iaculetur, quantaque securi vniuersam

voluptatis siluam cędat & excau-
dicet. cogita denique, quantam
pœnitentiam hęc tęuis delibatio,
hæc verecundię auocatio, hęc ocu-
li de sanctimoniæ tenore deceſſio,
excipiat, partem inignis, & ſulphu-
ris ſtagno. tam carè luitur volati-
cum gaudium, tam labili parantur
æternæ flammæ. Quid carnem &
domeſticũ hoſtẽ accuſas? nulla ad
libidinẽ vis eſt niſi ipſa neſcit quod
libet, cogi; nec quiſquam no-
lens fornicatur. teipſum accuſa
qui huic gurgiti manum tradis. ad
preces & medicantia ſuſpiria te
conuerte, ſin inſurgat acrior hoſtis:
ad ieiunia & flagra, ad cor contri-
tum & cinere ſordidatum te verte.
Circumſtagnẽt ſtratum lacrymæ,
integat ſaccus, & de cilicio aſperior
decumbat culcita. Neſcit ferocire
fame enecta caro, nudaque humo
& duro illiſa ſaxo, verbereque laſ-
ſata & domita, & tamquam vo-
mere proſciſſa & ſubacta. Quid o-
pes cogitationibus metris? magno
viatico breue hoc iter nõ inſtruitur

sed oneratur. & vt omnia posse-
deris; quid comitabitur abeuntẽ?

Quid corpus denique vniuer-
sum intueris? maior es & ad maio-
ra genitus, quàm vt mancipium
sis tui corporis, quod non aliter
circumspiciendum quàm vincu-
lum libertati circumdatum, quàm
compedes animæ iectæ, quàm
ingentis spiritus carcer, quàm exi-
lium cælo nati. Erige te proinde
supra hanc carnem & ossa, & sub-
structam sániem. Cùm visum fuerit
Deo, distrahes cum hac Societa-
tem, redibis ad eandem imperio
illius. hoc tamen quo sociaris tem-
pore, non sis æquarum partium so-
cius. animus ad se ius omne trahat,
omne dicat. Vis verum domina-
tum, veram libertatem? contem-
ptus corporis certa ac propè sola li-
bertas est. Huic libertati plurimum
confert originis suæ finisque me-
ditatio: simulque in apertum pro-
di, optimaque tui parte meliora
cogita, in mundi artificem aciem

conuerte: qua ratione tantam molem in legem & ordinem digesserit, sparsa collegerit, confusa distinxerit, corpus quo cingeris figulauerit, animam infuderit, inspirauerit.

Quid viuis capite dimisso? cælum teque adeo ipsam anima intuere & cui condita, scies quæ sis, quantumque & cui debeas. Opes, voluptas, honores condiderũt? illis te debes. delitiæ, mensæ, pocula, risus, ioci, diademata, tiara, purpura te condidit? sequere conditores, ingratus, si non sequeris. nam quid non debes conditori? quod olla figulo, quod nauis fabro, quod conflatori vitrum, ac maiora etiam conditori debes: qui non aliunde, vt illi, mutuatus materiam est, quasi aliquid debeas materiæ: omnia illi debes, à quo vno habes quid quid habes. illius ergo nutui pare, obsequere imperijs. reliquorum iussa nouercalia sunt. & non liberum te condidit? quid libertatem

obstrin-

obstringis seruitio alieno? fruere libertate quâ te donauit qui te cõdidit. summa donauit. vtere summa, nulli obstrictus quàm conditori. & indignum generi tuo, alieno te teneri obsequio nobilissimi figuli vas nobile, primi conditoris primum opus es, quid te abijcis ad inhonora, & indigna generi tuo? quis adamantem vimini, quis aurũ Iterquilinio credidit? at quid gemma & aurum, si te ipsum cogitas? pars illa sunt ignobilis terræ. tu pars magna magni conditoris. ille terram, & quidquid in illa, famulam creauit tibi. quid ergo famularis famulæ degener conditoris? quid seruis domina? purpura te donauit, diademate, sceptro, qui te condidit, Rex pater. quid te spolias concessis, vt mancipium induas? memento generis. ac si quę te tangit gloria tanti patris, erigere ad maiora, & digna imperatorio patre sceptra te manent æterna, quid circumfers oculos ad

peritura? purpura te spectat cælorum prima, quid vili tegeris sago? regna te vocant cælorum nobilissima, quid circumspicis casas porcorum haras? imperia te expectant patris, quid pistrinũ cogitas, transtra & remos? quousque siliquis pascis ventrem, regia dignus mensa? quid thalamum meditaris serę bis captæ, regio pognatus toro? patrem & conditorem cogita cęlorum regem. illi seruire, regnare; illi famulare, imperare est. reliqua omnis seruitus infra genus tuum est, infra mancipium latrinarum est. tolle te anima ad cælorũ maxima, ad quæ te condidit Rex pater. contemne has opes, honores, voluptates terrarum vile pabulum. sed & odisse debes, quæ te patria exuunt hæreditate, regno, diademate, sceptro, purpura. protere pedibus, constringe loris, doma & frange verbere, ne serius indoleas manicas & compedes & duram seruitutem; ne seriùs inclames,

& non

& non--profutura spargas lamenta. quid enim proderit capillorum & barbę vulsio, quid pugnis genæ liuentes, quid dorsum flagris, quid inedià macerata adeoque enecta caro, quid rugitus & fletus, & alta suspiria, sub sęuo immitis dominę & nulla prece pacandæ imperio? antè decuit. antè seruitutem pati docenda fuerat caro, dedocenda imperare. antè honores, opes, voluptates famulatum docendę, imperiũ dedocendæ fuerant. neque enim hæc imperijs condita, sed mancipatui sunt. parêre discant & imperia ferre quæ seruituti nata, imperent qui imperio nati. non recedamus ab hac lege ęterna, regula est falli nescia, ad cuius normam flectenda reliqua. nec errare possumus si hanc sequamur ducẽ; reliquus omnis ductatus de fallacia est, mẽtitur libertatẽ, ad seruitia te vocat & dura imperia. cõtẽne. vinces, si contempseris: peristi, si obsecutus fueris. quantumque rece-

dis ab hac regula, tantum recedis à magno vero. Quantum verò accedis ad illas mētitę libertatis pollicitationes, tantum ipsi accedis mendacio. cui qui se credit, quid exspectet solidæ rei? imò, quis illo hostis nocentior, quis fallere doctior, quis circumuenire peritior? & tu te credes hosti, credes armato inermis? sanguinem sitienti, vitæ insidianti, & sola morte, & morte æterna saturando? accipitri colūbam, ouem lupo, gallinam vulpi quis prudens credidit? virginem lenoni quis commisit, & recepit virginem? castam lupanari qui tradidit, castam reperit? adolescētem qui verecundia etiamnum integra in triremes coniecit, post flagra & socios & sęua vincula reperitne erubescentem, & ad non-casta verba rubore plenum? eadem à mendacio spera. quantum credidisti, tantum perdidisti. totum te credidisti, totus periisti. nec possunt simul stabulare veritas & mēdacium.

dacium. nec vna anima aduersantia imperia, & pugnantes patitur dominos. vni te addicas necessum est, & vni tantùm. nesciunt enim sociũ hęc imperia, sed nec admittunt comparem. in cuiuscunque proinde verba iuraueris, alterum hostem cogita. mendacio te obstrinxisti? inimicus factus es veritati, conditori, Domino, Regi, parenti, & iuratus hostis. huic si te addixeris, hostis factus es mendacio, opibus, honoribus, voluptatibus hostis. Vtrumque in tua manu est. vide cuius te tuaque auspiciis & fidei tradas, cuius signa miles sequaris.

Antequam tamen te cuiusquam sacramento addicas, vide cui plura debeas, aut si fors alteri omnia debeas. Si omnia debes, quo iure te tuaque transfers in non dominum? aut qua fronte creditorem dominumque fraudas suo, & de alieno liberalis donationes instituis? Non est viri ad equitatem cõ-

positi aliena erogare. latronis est, & qui pudorem exuit cum conscientia; furis est, & alieni possessoris, qui munificus plurimùm de rapina, liberalis de furto est. de tuo vt largus sis, nemo vetat. de alieno quî potes? nunc seriò discute, si quid possideas tuum, si quid non alienum. tua si possides, tua largire: aliena si possides, redde domino rem tibi creditam. nam quæ hęc impudentia negare domino sua? Hic vide an aliquem reperias cui omnia debes. conditori Deo non omnia debes? non ab illo precariò possides quidquid possides? imò non solo quęstorio possides iure, quęcunque possides, ratione redditurus rei commissæ? quis villicus domini agrum arrogauit sibi? sed & propiore etiam titulo quidquid habes possidet qui te condidit. vindicatitio nimirum iure, cùm è dira seruitute, & non iam te vltra tuum in libertatem vendicauit potenti dextera, iusto aduersarium

riũ bello prosequutus, iusto victoria potitus, qua te suum fecit iusti belli prædam iustam illius ergo es qui te iusto bello fecit suum. volũtario tu mancipatu libertatem tibi à conditore concessam vendideras hosti, & tenebaris vinculis vltroneæ venditionis, seruus factus cui imperare debebas. tuus ergo iamnon eras, in alienã enim possessionem iusque conceſſeras spõtanea traditione. ex hac quicunq; re eripuit, dominus tibi factus est. & victores, omnium sententia, in victi iura succedunt. Victoris ergo es, & potiori iure quàm prioris domini; qui te fraude pellectum & dolis malis, mentitę libertatis spe in seruiturem duxerat omniũ infelicissimã. at victor tuus iusto te bello fecit suũ. quid igitur te subtrahis obsequio illius? quid veterẽ famulatum cogitas, Aegypti ollas, allia & cæpas? indignus vindicta, libertate, munificentia es, si veterem meditaris seruitutem. Quid,

quòd

quòd emptionis titulo factus sit Domini qui te emit? nec vllus hic retractui locus. sin pergis vrgere, redde pretium quod pro te pendit qui te emit. si non potes, quid fatuo conatu iura inclamas, vis rem alienam sine pretio, aut vis alienâ possessionem gratuitò concedi? non vult exui possessione sua emptor. quis coget inuitum? Iezabelis hæc imperia sunt: vindicantes sentient canes. denique pretium redde, & tuus eris. quid reddes? nudum te emit. quid pendere nudus potes? & intuere pretium quod nullo compensari pretio potest. infiniti enim pretij pretium fuit quo te emit, qui te emit. neque enim *corruptibilibus auro, vel argẽto redempti* sumus, *sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati, Christi, & incõtaminati.* Sanguine ergo empti sumus, sanguinẽ reddamus. At quẽ dabis? alienũ? de alieno vẽdicare tua nõ potes. tuũ? quid habes tuum qui totus emptoris es? & vt aliquid

1. Pet. 1.

aliquid habeas tuũ, quæ comparatio finiti ad infinitum? q̃ sanguinis tui, & Christi, Domini, Regis, conditoris, & Dei tui? frustra ergo de retractatione cogitas impar numerati pretij, cumque triplici titulo illius sis, Conditoris, Victoris, Emptoris, cur non totum te obsequio illius mancipas, cuius tot nominibus totus es?

Quid honorum & opum, dura te seruitute obstringis? quod tuum est obstringe. te ipsum non potes, neque enim tuus es. nec qui te condidit, auro te, sed sibi condidit. illi famulare, & illi soli, à quo solo habes quidquid habes, nec deerunt thesauri, *qui non veterascunt, non deficientes in cælis: quò fur non appropiat: neque tinea corrumpit.* Neque condidit te vt honoribus seruires. sibi te condidit, illum sequere ab hoc dignitates spera semper victuras, nunquam morituras. Luc. 12.

Non condidit, vt mundi te voluptа-

luptatibus dares. conditorem imitare. nulla voluptas cęlestium amori componenda. Et illa voluptas solida & vera est, quæque sola voluptatis nomen meretur, cùm liquescit anima conditori suo implexa. dulces amplexus, grata basia, optati nexus, *super mel & favum* & quidquid amabile! *Osculetur me osculo oris sui. quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Et, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera commorabitur, anima* enim *mea liquefacta est vt locutus est.* nec iam vltrà mea, sed illius est cùm rapitur non iam sua. hinc ille *raptus vsq;* *ad tertium cælum* cùm audit *arcana verba quæ non licet homini loqui* exinde iam ex Saulo feroci persequutore, Paullus *vas electionis, vt portet nomen* Domini *coram gentibus & Regibus, & filijs Israel.* Cælo digna voluptas, cùm saucia procumbit anima confixa iaculis amoris manu non iam sua, sed vulnerato-

Cant. 1.

2 Cor. 12

Act. 9.

gis

ris sui. vt inclamare possit, *vulnerasti cor meũ in vno oculorũ tuorum*: Cant. 4.
cumiacet languida, amico languore, nullius nisi amati reuocanda manibus; & audet, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cant 2.
cum voluitur ebria, vino illius madida, qui *in cellaria sua, in cellam vinariam* introduxit & pronocat amantes, *Comedite amici & bibite & inebriamini carissimi.* Cãt. 1. 2.
Madebat hoc vino quæ cantabat, *Botrus Cypri dilectus meus mihi*, dedit mihi *poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum*, madebat & illa quæ videbat amantem, & putabat hortulanũ, parata medios ire in hostes, & humeris amatum deferre è prætorio Præsidis, è militari custodia. Sed & illa felix voluptas est, cùm cęca quiescit anima luminibus capta. cepit amatus & amica lumina inoculauit suis. felices oculi qui nihil vident extra amatum, quem quærunt *per vicos & plateas*, nec dimittunt postquã Cant. 1. Cant. 8

in-

inuenerunt: cumque vitę huius fa-
Phil. 1. stidio inclamat, *Cupio dissolui & esse cum Christo*; moriturque & deponit amicam animam in amati sinum, & amico condit pectori. Mors beata, & qualem optem huic animæ? quid te delectat viuere vita hac misera? potes amati. ô viuâ
Gal. 2. *iam non ego, viuat verò in me Christus.* moriebatur hac morte cuius
Phil. 1. hęc verba, *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* moriebatur ille
Luc. 2. cuius cygnea hæc vox, *Nunc* dimitte *seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace, quia viderũt oculi mei salutare tuum.* Illa denique mille votis optanda voluptas est, qua amoris magnitudine tanquâ Oceano immersa natat anima, hauritque plenis faucibus amoris elementum, quo tanquam mente iam alienata, furentique, quàm sapienti propior, vix verborum ac ne cogitationum suarum conscia, nihil præter imo nata pectore suspiria, & nullo connexa vinculo

iacu-

iaculatur vota; exulant hinc orationis illecebræ, dictionis fucus, & quęcunque verborum amœnior conteſſeratio; ruſtica hic omnis eloquutio eſt, & tanquam proſciſſa vomere, aut raſtris malè adnexa. Hæ ſunt voluptates amãtis animæ, quarum minima tam longè diſtat ab omni voluptate humana, quãtum ab homine Deus. cuius etiam opes & honores ſi cum ſæculi huius componantur, maiore ſe iunguntur interuallo, quam ab Oceano ſtillicidium ſitulę, quàm lucernarum infima à ſole maximo.

Deo ergo conditori tuo, cui ſoli cõditus es, te totum conſecra. Neque enim ad aurum & voluptates & ſęculi magna te condidit Dominus, ſed ſibi & ſibi ſoli, ſibi vendicauit, emit ſibi. cui quantã vitę tuę partem tribuas, ſeriò conſidera. mediam, quartam, decimã, an viceſimam? quantum impendis, tantum amas. impendiſſe enim amaſſe eſt, erogationis enim cauſſa

cauſſa amor eſt, metire. non potes errare. tantum obſequij, quantum amoris; quantumque amoris, obſequij tantum eſt. nam vt verbo dicas te amare, re neges, quid niſi teipſum fallis? ſanè conditorem non fallis, qui obſequio metitur affectum. etiam prudentiſsimus quiſque tantum fidei verbis adhibet, quantum videt operis. verborum pondera res ſunt. hęc ſi tollis, verbaque das ſolitaria rebus vidua, quid niſi infantię das bullas, nudaque cymbala?

Ex his ſcire potes quantum debeas, qui tot nominibus omnia debes. potes ſcire quantū tribuas, ſi affectum, ſi res, ſi tempora cogitas: potes ex eadem regula ſcire quantum ames, cùm videris quantum tribuas, quemque ardentiùs ames, cùm videris in quem plus ſtudij, ſudoris, laboris, temporis, obſequij impendas. potes denique intelligere à quo præmia ſperanda tibi. Affectus operisque merces

præmij

præmia sunt. aduersantibus verò seruire, veritati & mendacio, luci & tenebris, vindici & raptori, seruitutis & libertatis tuę domino, impossibile. *Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ.* atque hinc olim illæ voces: *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* Habes Deum ęmulantem, *Deus est æmulator*, non fert riualē; habes zelantem, *Dominus zelotes nomen eius Et, Zelatus est Dominus terrām suam. Et, Ego sum Dominus Deus tuus fortis Zelotes*, cui omnis alior sum oculus de maligno est. quid dimidias obsequia? audi querentē. *Vtinā frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiā te euomere ex ore meo.* tepidū detestatur, in quo dimidiati obsequij exēplar lucet. calidū vult ex-

Matth 6.

3 Reg 18.

Exod 34

Ioel. 2.

Exod 20.

Apoc. 3.

ex solido nimirum suum : neque enim dimidiari obsequio vult Deus. aut sanè frigidum, conditori suo frigidum, vt qui totum se transtulerit in obsequiũ alienum. medium tepidum, nec vnius nec alterius obsequio mancipatum, abominatur vt vomitum. Neque tamen frigidum illum amat, sed quòd ille faciliùs se totum flectat ad conditoris sui obsequia. Zelo enim quodam in alienum famulatum fertur, totumque se suaque in illius obsequia effundit; qui si edoctus errorem agnouerit, pari quo alienum, ardore conditorem amplectetur, totumq; se sacrabit Deo qui antè mammonæ. At ille tepidus, cùm nullo aut solo medio tangatur zelo, medio concaleat æstu, hæret medius, nec vni se vnquam aut alteri parti dicat. neutri amicus, vtriq; suspectus, quia neutri fidus. cùm vera stare fides non possit in tam pugnantibus obsequiis.

Intuea

Intueamur dehinc præmia vtriusque seruitutis. momentanea huius sæculi, æterna conditoris sunt. quàm dispar militia, in qua temporaria & ęterna stipendia? quàm infelix sæculum, quod vt momentum præmiet, æternum cruciat? quàm dolo plenum, cùm dubio plurimùm euentu ludat amantes, & è multis millibus vix vnum alterúmue amplectatur, quẽ ad sperata prouehat; prouectoſque in ipso limine destituat, quasi ad hoc prouexerit, vt altiori præcipitio locus esset? quàm fortunata conditoris præmiatio, quæ momento manum retrahit, parca hic donorum, vt largâ æternùm præmia profundat dexterâ; quæque certo lætoque euentu amatorem omnem donat voto maioribus. Vtrumque serius scrutator cogita: Maturam deliberatiorem æterna poscunt. Non sunt hęc summis digitis, ac quasi per capillum, tangenda, introspicienda singula, nec

nudis sponsionibus fides admouenda. cogita pendere ab hoc delectu vtramque æternitatem, felicé infelicé. non sunt pilæ, aut infantiæ nuces, nec quæ redhaberi semel amissa possunt de æternitate obsequij huius omnis delectus est. ne fide promissis incomitatis, ne blandientibus crede genis, non ori aut oculis suaue ridentibus, ludentibus. fella latent sub hoc fauo. cerussatæ genæ meretricem suam loquuntur: frons stibio distenta lenonem sapit. micantes oculi, ac multa promittentes altas cogitationes fouent, & aliorsum velificantes: neque semper risisse probatum prudentibus. res ama, rei cogita. rebus præmia & speratæ metire, & securè te dabis partium alteri. res deinde rebus compara, nucleum nucleo. corticem contemne. si ambit saccarum ignobilis canna, si venena continet flos amœnior, quid canna & flore rem

metiris? inlatentia componē. Si vestit porcam purpura regia, si equum nobilem vile stramentum; an stramine & purpura de porca & equo statues? si virgo paupere decumbit strato, si toro meretrix sedet aureo, an castitatem metieris toro? Cincinnatum ab aratro, Curium à leni foculo, Fabricium à tenui mensa iudicas? à fictilibus Agathoclen, à ligonibus Marium? aut plebeias contemnis Deciorum animas? nimirum magnus tibi Heliogabalus, magnus Caligula, Sardanapalus, Physco, Dionysius, Darius magnus. quid de Socrate statues, Epicteto, Platone, Scævola? imò vt nostra, certiora & maiora tangamus, quid de Laurentio senties in craticula ridente? quid de indignante vinci Decio? quid de Tiburtio prunas calcante? quid inter ora leonum de magnanimo Ignatio? inter verbera de Valeriano, inter flammas de Polycarpo, in equuleo de Vincentio

inter sagittas de Sebastiano, inter leones de Ianuario, inter plumbata de Gordiano, inter scorpiones de Basilide, inter liquatum plumbum de Feliciano, inter clauos de Marcelliano, inter secures de Prothasio, inter fluctus de Nazario? etiam virgines tormenta ridentes minisque pœnisq; superiores, trepidante carnifice, ceruice stant indomita, quasi in aliena pelle sæuirent vngulæ, cruces, enses, clauj, flammę. Aut cuius tu sortem deligas, Petri an Neronis, Laurentij an Decij, Ignatij an Traiani, Polycarpi an Antonini, Sebastiani an Diocletiani, Tiburtij an Seueri, Vincentij an Daciani, Geruasij an Anastasij, Nazarij an Anolini; Soteris, Susannæ, Agnetis an Maximiani, Agathæ an Quintiani, Cæciliæ an Almachij; Domitillæ, Euphrosinæ, Theodoræ an Domitiani, Christinæ an Iuliani, Priscę an Claudij, Luciæ an Paschasij, Catharinæ an Maximini? imò cuius non

Regi

Regis aut Imperatoris, exitum prę-
feras Paulli, Benedicti, Bernardi,
Dominici, Franciſci? cur non ſe-
queris vitam, quorum probas exi-
tum & coronam? audi ex his vnū,

Quid quæris? vino, & regno, ſimul
iſta reliqui,
Quæ vos ad cælum effertis rumore
ſecundo.

Imitare, ſi regnare dulce. An ſi de-
lectus hic detur, vitámne anteferas Conſtantis, Iuliani, Valentis, Maximi, Copronymi, Commodi, Eudoxię, vitę Antonij, Baſilij, Nazianzeni, Nyſſeni, Chryſoſtomi, Ambroſij, Auguſtini?

Non pigeat imitari quorū agones miraris & prędicas. Pares prę-
mio qui lucta pares ſunt, pares co-
rona qui curſu & pugilatu pares, pares victoria qui pugna pares, pa-
res exitu qui vita pares. Ne pigeat ſudaſſe, vulnera tuliſſe, ſanguinem fudiſſe. Indeficientia ſemina hęc ſunt ęternę meſsis, nullo morituræ
ęno, nullo minuendę. Tanquam

inter immania saxa rapidi torrentes, sic inter confragosa suspiria currite sudores, magna vos manent præmia. Athanasios, Cyrillos, Paullinos, Hieronymos, Hilarios, Gregorios, Remigios, Martinos, Anselmos cogitate. Tanquam perruptis flumina aggeribus, aut indignantia claudi maria, profluę sanguis meus, totusque impatiens morę, quasi diffractis quaqua repagulis, profluę venis. Magnos Cyprianos, Felices, Vitales, Blasios, Fabianos, Stanislaos, Cantuarienses Thomas, Soteros, Caios, Sabinos, Cletos, Anicetos cogita. quo liberalior fluxus, eo liberalior præmiatio est. non perdis sanguinem, cùm fundis, cœlo reponitur, quidquid hic Deo suo fluit. ibi reperies diuite seruatu, certo reconditorio: tantùm conditori tuo currat hic sudor, fluat sanguis.

Quid dubius hæres miles? ducem sequere. prior ille iuit in hostem

stem, prior vltronea vulnera excepit, prior sanguinem prodegit. quid parcis tuo? quantum parcis, tantùm perdidisti: quantumque perdidisti, tantum seruasti. digna viro cogitatio, perdere vt serues. mentior, nisi ille præit exemplo, qui te condidit. perisses, nisi ille sanguinem suum prodegisset; perisses, si vitę auarus sanguinem seruasset. profudisse, seruasse fuit. imitare. errare non potes illo duce. aliorsum si cogitationes flectis, parcens sanguini, peristi. nulla ad cœlum via est extra illam, quam sanguine suo strauit libertatis tuæ vindex. imitare. modicus labor æterna dabit. felix commutatio momentanei cum æterno. potes hoc frui, si contemnis illud. fatuus, si negligas. contemne. non potes falli, si conditori inhæres. falleris, si ab illius deflectis vestigiis, tantumque falleris, quantū deflectis. ne dubita. calcanda eadem semita est. nam si parianda gloria,

pariandus & sudor & sanguis est. Dissimiles agones dissimilia poscũt prẹmia, disparia studia dispares fortiuntur euentus, nec eadem corona à pugnantibus, aut eadem palma à diuerso venit certamine; nec ad vnum terminum contrariẹ ducunt viẹ.

Sin tibi blandiris de aliena via, errasti. Vbicunque non repereris magni Ducis tui vestigia sanguine signata, aberrasse te scias. Quid hẹres? sanguis sudorque te docebunt, quẹ via ducat ad cœlum. Lata, plana, amœna est, floribus consita, fontibus irrigua, prospectibus varia? non est illa Angusta via est, tribulis & seminata saxis, ascensu ardua, sudore madida, sanguine purpurata quæ ducit ad cœlum. perfer, & obdura. angustias has non multo pòst excipient nullo fine terminandæ amœnitates, opes, delitiæ, honores, lætitiẹ, voluptates, conditori tuo sociatẹ. Laxitatem illam planam, lẹtabundam,

momen-

momento pòst excipient gemitus & stridor dentium, & miseranda in ignibus dæmonum associatio. delige. delectus in manu tua est. non deerit ille qui sudore, vulnere, sanguine viam strauit, tantùm ne deflecte ab hac via. Dura & aspera est? intuere Ducem. Ignauus miles est, qui deflectit ab itinere, aut ducem sequitur gemebundus. Hostibus circumsessa est? quid trepidas Duce præeunte? non nisi furca & fune dignus miles est, qui circumspectat effugij loca, & destituit, intrepidè præeuntem ducem. Sanguine paranda? à colo & acu veniunt hæ voces. Sanguine vir accenditur, sanguine in spem victoriæ venit. Reliquus omnis labor de puluillo nascitur. Procul hæ cogitationes molles, mollem dominum lassantes. Ad magna te vocat qui te condidit, magna spondet, & ostentat magna. Magnos animos gere, vocationi, sponsioni, præmio pares. Ad ma-

gna te inuitat magnus Deus, facilis ad gloriam, coronas, triumphos erigere ad magna. solo cœlo reposita hæc magna sunt. ad hoc cogitationes omnes flecte, vitam, studia, mores, sudorem, sanguinem. facies, si cœlum, si Deum cogitas, si repositas alteri vitæ opes, voluptatem, gloriam, eo citiùs his omnibus donandus, quo celeriore gradu decurris ad illa magna sponsore & largitore Deo. quo enim citatior cursus, eo vicinior meta est. sed & quo plus erogaueris, eo liberaliorem senties Dei manum. vnum erogasse, centum vicisse est, imò millia parasse & possedisse est. felix mutuatio tam largâ vsurariâ manu fœneranda, fortunata donatio tam fœcundâ remuneratione reponenda: prudens elargitio quæ te nõ post multum in possessionem ducet opum æternarum, perennitati & Deo commensurandarum. Nam quæ hęc vita est, si ęternæ cogitas? momen-

mentum vnum, ac ne momentum quidem, si cùm perennibus componatur. arenam vnam, Oceani confer littoribus; guttam vnam mari quocunque se diffundit. & minor his humana vita, quantumuis in centesimum ac millesimum annum porrecta. guttarum namque arenarumque spoliatione minui res illæ possunt & ad vltimum sui deduci; at annorum numero nullo de immensitate sequuturi quidquam detraxeris: quantumcunque enim sustuleris, immensa reliquatio est.

In hanc ergo æternitatem cui natus es, mentem oculosque conice, in hanc cadant profuturæ lacrymæ, ducanturque imo pectore fausta suspiria: eant in hanc preces votaque nullo fine minuenda, in hanc cogitationes omnes, studia, sudoresque fluant. nihil in his reperies quod mœrore, fletibus, aut pœnitentia eluendum sit.

Aliò si cogitationes studiaque refers, aberrasti. Neque opus in hanc rem magnis documentis, non oratorio aut philosophico robore. res loquitur. nec quisquam adeo infans est, quin æterna perituris anteferat. omnes illa vouent, & intimis animis adprecantur. in mediorum delectu error est. & ad illa tamen natura nos pellit, ducit ratio, maiorum omnis retro æui exempla: Christusque vita & præceptis, etiam interminationibus interpositis, ad eadem nos ducit: multorumque in contrarium abeuntium diro & pœnitendo heu nimiùm exitu monemur. Quid hæremus dubij, aut ignorationem præteximus? causa nulla est. nec quisquam ignorare potest, neminem natum huic vitæ. Deo nati, illi conditi sumus: illius obsequio iam inde à natiuitatis ianua mancipati.

Iam quis nesciat impossibile esse, Deo seruire & huic sæculo? vo-

lupta-

luptatibus, opibus, gloriæ hic indulgere, & iisdem in posterum frui? nimis nobis clarè Lazari & Epulonis exempla, quid sperare, quid metuere debeamus: edicunt. habemus in hanc rem veteris Poëtæ monita.

Ecquid agis? duplici in diuersum scinderis hamo?
Hunccine an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres?

Et alterutrũ tibi deligendum, cùm vtrumque negatum. paucorum nimirum hic annorum felicitas æterna infelicitate donanda, aut annorum non multorum labor æterna beatitate præmiandus. alia si cogitamus, fallimur, & doloso lenocinio nos ipsos in fraudem noxio euentu impellimus. non potes errare Christi vestigiis & monitis inhærendo. erras, ab his si deflexeris. Nunc quæ prudentia est, æternitate propositâ, beata vna & fe-

lice & ęternis associata gaudiis; misera altera & infelice & ęternis ignibus comitata, periculis se exponere, quibus & illa fruſtreris, & ad hanc damneris pœnitudine ęterna?

Durum tibi fortè est carere his ridentibus & vltrò blandientibus, magnaq; spondentibus vitę commodis: & suaue erit ignibus ardere, æternis? dulce, gaudiis excludi æternis? cogita deinde diuitis illius sponsionis incertam consequutionem, dum plerique in neddum animato culmo, in gramine, ac semine etiam cadunt priusquam optatis fruantur. cogita possessionis breuitatem, dum vix à supremo gutture libatis rapimur sistendi iudici, & æterna sententia feriendi. maximè cùm non magno negotio excutere à te possis hæc mollia, melleamque hanc decipulam ad perennatura tormenta ducentem, ad ignes nullo fine restinguendos, nullo mitigandos. fidis inuenta?

tientæ? præcipiti cursu fugit, ducitque vnde nunquã cùm semel ventum est, patuit reditus. noli te fatua spe coniicere in locũ seræ pœnitentiæ. memor illius,

Grauis animi pœna est quem post factum pœnitet,

Maximè si irreuocabilis euentus est, qualem videmus in æternitatis delectu. semel adiudicatus ignibus, semper es. nulla enim ex his remeandi ratio, nulla eluctandi est.

Fors saniora amplectêris senex & falci iam matutus funeriq; propior. non meministi illud Poëtæ:

Nemo tam Diuos habuit fauentes,
Crastinum vt posset sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Et alterius:

Quis scit, an adijciant hodiernæ
crastina summæ
Tempora Dî superi?

Quis, an horam vnam?

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus,

ridet-

ridetque si mortalis vel momentum sibi spondeat. labimur miseri, fluminis instar, nec cuiquam fida statio est, momentumque momento premitur, omneque miseris pro lethali est.

Ille potens sui
Lætusq; degit, cui licet in in diem
Dixisse, Vixi: cras vel atra
Nube polum pater occupato,
Vel sole puro.

tibi Deus vixi, cœloq; cui me condidisti.

Et vt quàm maximè securi simus de vita longiore, nonne

Rarum est felix idemque senex?

ita rarissimum est post insolentem iuuentam, improbosque mores, post opes, dignitates, delitiasque, tutiora senem sequi. maximè cùm hæc morum emendatio à solo Deo pendeat, quem in iuuentute neglexisse, in senectute spreuisse est. Lusit Poëta in non dissimili re,

Elleborum frustra, cùm iam cutis
ægra tumebit,

Posces

Poscentes videas. venienti occurrite morbo.

antè nimirum prudenti præcautione medicamina perennaturę valetudini paranda. sin differimus in prouexam ætatem, ferè immedicabile malum est, quod omnem fugit quantumuis doctam medicā manum. nam qui cum ætate inualuerunt morbi, plurimùm non nisi cum morte ponuntur. nimis altè annosæ hæ radices terram occuparunt, quàm vt vomere aut ligonibus proscindantur. ignibus opus est, valentissimis scilicet remediis, qualia legimus in Saulo, Magdalena, Zacæho, Latrone. at quis hæc nobis polliceatur, & in paucorum horum numero statuet, tot millibus pereuntibus, vanaque sequuturæ emendationis spe in omne æuum delusis. temerarius ille est, & fatuo proximus, qui paucorum exempla sequutus, non sueta hominibus tentat ire via; seque animamque fortuito euentui comittens

tens de æternitate tanquam de dupondio ludit. ac quasi ab vno alea iactu, stolidissimo ausu, æternatura appendit. quanti perierunt inani hac spe fulti? quot millia rapuit fouetque æternus ignis, in sensum emendationem castosque mores seruantia?

Ex vitio alterius sapiens emendat suum.

Felix cui hoc concessum, quique sæpe illud voluit secum,

Bonum est fugienda aspicere alieno in malo;

vt miserum est aliis fugienda in se exempla dare, doceant nos alij infelici procrastinatione, doceamus nos alios tempestiua morum in melius commutatione.

Quid si extremi omnes plebeiorum, vltimique trahariorum, regna

regna cogitent & imperia? non inclames, Erratis miseri, parendum Deo vocanti, sua quæque sors quemque manet. non sumus omnes imperiis nati: pauci à Deo ad sceptra & diademata parantur. nam si omnes imperabunt, quis obsequetur? similibus animum instrue & obfirma. Nam vt perpauci à Deo ad imperia delecti, ita fors rariores etiam ætate iam denexa ad meliora transierunt.

Quare dum per annos vires que licet, in Dei obsequium, cui soli conditus es, totus concede; illi iuuentutem nobilissimam partem tui sacra dicaque, æterno non multo pòst donandus regno cui natus es, æterna decorandus corona: quæ, nisi aliorsum deflexeris ab hac semita, hereditario iure tua est, emptitio & vindicatitio iure tua, sanguine nimirum vnigeniti Dei Filij parata: tantùm

tantùm non indignum te redde cui hic ſanguis fluxit, cui hoc gratuitum pretium depenſum eſt, cui beata felicitas ab omni æuo deputata eſt. conſequeris hoc aſsidua meditatione vitæ futuræ, Deiq́ue, q́ui te ſibi creauit, & ſibi ſoli, memor in quacunq; re propoſita, Dei te eſſe; illi te conditum nec alteri. quidquid proinde ad illum non ducit, quidquid abducit, ad interitum ducere, & interitum æternũ. cogita æternum, & non magno molimine abduces te à perituris. premunt hæc momentanea, & ad ſe alliciunt opes, honores, gaudia? obiice æterna, clypeum illis iaculis, propugnaculum arietibus. & vbicumque te illecebræ comitantur, premitq́ue veſtigia noxiis hic ſcorpius, oppone æterna; ſiue illa felicia, ſiue infelicia ſint, vinces aduerſarias acies, nocitura toxica. nullum antidotũ illis venenis medicandis, extinguendis potentius: nulla te agmina, ne metue, lædent

ſi æter

si æternitas in fronte est: ferrumque omne euolabit innoxium virgine lapsu, si æternitas, perpetuo fidoque comitatu, claudat latus. beata cogitatio, quæ te conditori reddet, & cælo cui natus. Beata, quę te flammis eripiet, & flammis æternùm vrentibus, seuientibus. Hęc meditare, & viues, viuesque æterna felix gloria, Sanctis Deoque ęternùm sociatus.

CAPVT II.

PECCATA. *quorum magnitudinem, sæuitiam, improbum dominatum, non multarum horarum lectio docebit. Videbis nihil omni æuo impunitum vindicem Dei dexteram transisse. quæ etiam in cogitata, pura licet manu, immensùm sæuit. exempla id olim docent. Hoc graue. momentaneum peccatum esse, æternam pœnam. euolat illud quauis ocius alite, vento, iaculo. manent tormenta nullo æuo ponenda,*

da, nullo mitiganda. Non mireberis, si Deum cogitas; cuius cùm imperia calcantur, immensæ magnitudini improbitas propè peccati pariatur. nec desperandam tamen gloriæ viam discès hoc capite. nulli tantùm sceleri immergere, & vicisti. ab illo te terrebit Deus, cœlum, mors, Christi tui sanguis, crux, vulnera, nullo-que morituræ tempore carnifices flammæ, æternumque cælestium exilium peccatis destinatum.

QVæ hæc fiducia, vt peccata peccatis accumules; ac tanquam parietem parieti, sic noua nouis inædifices? an sternere his viam meditaris ad maiora? & quò hæc demum? vt Babylon exurgat noua? an qui olim dispertiuit in linguas temerarios ausus, minora iam poterit? an *abbreuiata manus Dei*, & elanguit dextera? aut *qui*
2. Petri 2. *angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in*

tarta

tartarum tradidit cruciandos, parcet tibi? aut minor in illo virtus in excidio tui, quam in tot angelorum myriadibus ignis æterni vinculis mancipatis? in vnius arboris delibatione non transiit peccatum primi parentis inultum; & transibit tuum? memento Antiochi, & & quidem frustra pœnitentis, serò gementis, & orantis *Dominum, à quo non esset misericordiam consequuturus*. 2. Mach. 9. Memento Babylonij Regis, memento Senacherib blasphemias & minas Israëli per Rapsacen intentantis. memento Sodomæ, Pharaonis, Nabuchodonosoris, Balthasaris, Heliodori, Ninive, Israëlis, Giezi, Dauidis, Salomonis, Ezechiæ, Oziæ, Ananiæ, Epulonis; & confer peccata tua.

Angelorum habemus peccatum vnum, & sequuta damnatio ignis æterni. Hinc illud, *Angelos qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domi-* Ep. Iudæ Apost.

domicilium, in iudicium magni Dei, vinculis æternis sub caligine reservauit. Superbiæ in illis habemus peccatum vnum, & e vestigio vincula æterna: quasi æterno ac inenodabili iuncta sint nexu, peccatum, ignis, vincula. nullum his inuenio pœnitentiæ tempus datum, nullam moram dolori lacrymisque concessam. quo momento in peccatum lapsi, eo damnationis sententia percussi. cogita Angelos administratorios spiritus magni Dei, ab omni corporea mole segregatos, nobili cælorum prærogatiua donatos, beatitati delectos, conspectui Dei destinatos; & vna cogitatione infelicissimo præcipitio deturbàtos, nulla regressus in æternum spe, pœnitudinis nulla. cogita excludi cælo cui nati; beatitudine, conspectu Dei, sociarum beatarum mentium consuetudine, & excludi æternùm, idque vnius cogitationis reos. Luciferi verba sunt: *Ponam sedem meam in Aqui-*

lone

lone, & eroſimilis Altiſſimo. Pariauerat ſe conditori ſpiritus. aſſenſi pars magna, eodemque momento in altam terrarum viſceribus immerſam vaſtitatem infortunatiſsimo præcipitio deturbantur, nulla commiſeratione nobiliſsimæ creaturæ, nulla ſpe rediuiuæ ſalutis, nulla redhabendæ exſpectatione proſtratæ gloriæ, nulla ſponſione votorum, precum, pœnitudinisque audiendæ. acerba viciſſitudo, vna cogitatione parta! infelix cogitatio, quæ in alieno dum ludit peccato, pœnam ſibi accerſit, & pœnam æternam! miſeranda æternitas, tantæ felicitati ſuccedanea! tam modico æterna! tam vili æterna! momentaneo aſſenſu delicti vnius, æternis adiudicari flammis! vna cogitatione damnari cœlorum exilio æterno! dura æternitas, quæ tam paruo venit, vnius aſſenſus pœna, vnius cogitationis merces, vnius lapſus præmium! ſeuera pro tam tenui præmiatio! ma-

Iob, 10. gis, quia æterna. *Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Tam illustrem spiritum, & maximo, quantum creaturæ fas est, de vicinitate propinquum, vnius ob culpam, & Luciferi fastum abiudicari cœlo, adiudicari tormentis æternùm sæuientibus, vrentibus!

Quid cogitamus mortales totis retiti vitiis, tot non dicam cogitationibus, sed sceleribus madidi, tot facinoribus circumsessi, to

1. Esd. 9. peccatis consepulti? *Iniquitates enim nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsque ad cœlum.* Et tanquam scapha medio Oceano insurgentibus latè fluctibus iactatur pauida ita animæ nostræ in vitiorum mari magno, ingentibus agitantur procellis, vndique ventis sæuùm vrentibus, qui solem diemque, stellasque, lunamque solamen noctium omnem nimirum cœli radium omne gratiæ lumen subtrahut oculis, & pro die, meras inducu

ten

tenebras Ægyptiis maiores, in quibus tanquam fascino aut densa involutæ caligine miseræ mentes, incertæ viarum æternarum volutantur, huc illuc cæco impetu raptatæ. & meliora Angelis speramus, mitiora exspectantes? sceleribus vt ingenti pelago immersi, vndis prementibus, cœlo minitante, nimbis ruentibus, dæmonibus hostili animo insultantibus, quid speramus inani fiducia freti miserantis & facilis in veniam Dei? Angelorum exemplo disce vindicem illius manum.

Verùm *miserator & misericors Dominus, longanimis & multùm misericors, non in perpetuum irascetur; neque in æternam comminabitur. neque secundùm peccata nostra* faciet *nobis; neq; secundùm iniquitates nostras* retribuet *nobis.* Ille enim est, qui peccatorum nostrorũ non recordatur ampliùs. ille qui delet *vt nubẽ iniquitates* nostras, *& quasi nebulã peccata nostra.* nihil nego. verũ Psal. 102

Eccli. 5. memento illius. *De propitiato peccato noli esse sine metu: neque adijcias peccatum super peccatum. & ne dicas, Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Ne tardes* proinde *convertì ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Et ne dixeris, Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor,* magnitudinem pœnæ tarditate compensat. Et sanè Angelorum exemplum satis esse debebat ad cautelam, satis in exemplum sæuientis Dei. aut fortè illis gehennam parauit sæuiorem, sulphuratiorem, ardentiorem; benignior rem nobis. vna cogitatio meret illam potuit; tot scelera non me rebuntur nostra? aut clementio erit Dominus super innumeri peccatis nostris, quàm super vn

Ang

Angelorum? sæuior in vno illorum, quàm in tanta mole nostrorum? placabilior super innumerabilibus nostrorum; quàm super illorum vno? districtior super momentaneo illorum vno, quàm super tot annorum nostrorum? non cadunt hæc in illam æquitatem flecti nesciam. *Non est personarum acceptor Deus. sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Act. 10. *Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquã. quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* Sap. 6. Dari magnum paruumque pœna feriet, si in pari culpa sunt. pariatur enim culpæ pœna, non personæ. & audiamus componentem homines cum Angelis Iobum. *Cæli non sunt mundi in conspectu eius, quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?* Iob. 15. in tanta disparitate culpæ, quanta erit pœnarum?

Transeamus ad primorum parentum, in vetitæ arboris esu primordiale delictum: vides damnatos in mortem ob vnius arbusculæ delibationem. nec longa concessa mora, aut comminationibus provocati in dolorem. placuit mulieri pomum; gustauit. sequutus maritus, maritum manus Domini. comederant; & in ipso morsu mors hausta, exutus pudor, innocentia pulsa. Paradisum hic cogita Dei manibus consitum. Deliciarum nemus, castarum voluptatum hortum irriguum. & finge quidquid lubet animo commodorum, summa votorum omnium, maiora reperies & vna vnius delibatio pomi excludit his omnibus, & audit mulier: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, &* Gen. 3. Ibidem. *ipse dominabitur tui.* Audit maritus, *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperã tibi ne comederes, maledicta terra*

in

in ſeret tibi: in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. ſpinas & tribulos germinabit tibi. in ſudore vultus tui veſcêris pane tuo. nec in verbis ſteterunt minæ, ſequuta res eſt. Intuere vtriuſque felicitatẽ in paradiſo, imperia in beſtias, in res creatas omnes, ſi vnam excipias arborem: vide fortunatam poſſeſſionem, animos lætos, formæ præſtantiam, valetudinem integram, ingenij magnitudinem, prudentię faſtigium; laborum deinde ignaros, neſcios ſudorum, curarũ, moleſtiarum, fatigationum, dolorum, ægritudinum; omniumque aduerſarum rerum & miſeriarum expertes. accedit delibatio pomi, & emigraſſe è paradiſo dices omne bonum, immigraſſe quidquid malũ, acerbum, durum, aſperumque eſt. ita vno peccato omne bonum abſtergitur, omne malum imbibitur, & ad vnius criminis proſpectum, tanquam à præſentiſsimo toxico fugit, quidquid bonum,

quidquid optabile; accedit, quidquid noxium, quidquid arduum & graue. misera bonorum fuga, infelix malorum accessio; miserius infeliciusque peccatum, fugę & accessionis caussa. delictum vnum, pœna tam varia! delictum breue, ac propè momentaneum; pœna ęterna! semel offendit Adam, semper luit. cecidit Eua semel, nunquam in plenum surrexit. vno vterque saucius vulnere, cicatricem tulit ęternam. semel pręuaricatores, semper rei. deflenda conditio, quia mutari nescia. grauis spoliatio, in qua redhibitionum aditus occlusus. durum exilium, in quo omnis restitutionis spes adępta. desperata ęgritudo, in qua remediationi negata via est. miserrimum exui dignitatibus, cùm nec in integrum, nec in partem restituendi spes supersit. & hęc vnius peccati tam dira merces, vnius delicti tam grauis pœna, vnius reatus

tam

tam ſęua damnatio, nulla arte, ingenio, prudentia, doloribus, pœnitudine, lacrymis in integrum reſtituenda.

Sed neq; in duobus pœna conſtitit, tranſiit in nepotes, in omnem poſteritatem: ſtabitq; in omnem ętatem. ita in vnius parentis delicto puniuntur omnes, vnius noxę pœna tenet omnes. Graue eſt, delictum vnum tot iam ſęculis non poſſe expiari; grauius, alieno crimine omnes feriri; grauiſsimum, tam leuem parentum culpam, pœnas in poſteros ſequi ęternas. cogita pœnam & intelliges delicti grauitatem. ęterna illa eſt, nullo ęuo ponenda, nullo mitiganda: & tamen in vnius vetiti pomi delibatione omnis hęc grauitas: quam nec ſanguis quidem Chriſti reſtituit in integrum. Semel innocentia periit, periit ſemper: ſemel paradiſo excluſi, excludimur ſemper: ſemel deliciis illi-

us spoliati, spoliamur semper. nec quisquam ea sanctimonia fuit, qui rediret vnde exciderat parentum vitio. ita satis ad pœnam est illos habuisse parentes. Ab illo nunc delicto intuere, quot mortalium myriades ignibus adiudicatę æternis. quotetiam nullo extra parentum crimine gaudiis frustrentur æternis. quàm rari è multis millibus cœlo donati, vt nesciam an è centũ millibus vnus: reliqui nunquam morituraru flammarum non moritura sunt materia. Quid ergo speramus ingenti scelerum nostrorum turba circumsessi, mole oppressi? si parentum delictis percutimur, stabimus impercussi in propriis? stabimus imũnes in nostris, qui non stamus in alienis? peccarunt parentes primi, sequuta è vestigio pœna est, eademque nos omnes censura feriit. delictum illorum fuit, abiit in traducem. co-
rita è fonte venenario flumina bi-
bere, è scaturigine torrentes, è flu-
mini-

minibus maria, è radice truncum & fructus. Si tam seuera distringimur propè in alienis, vix in nostris, damnatione; quid fiet in nostris? cùm illud in vno; quid in nostrorum innumeris? si nunquā illud in plenum deletur, quia nunquam dum viuimus in plenum restituimur, in paradisi innocentiam, in virginem pudorem; non delictum cuiusque nostrum *scriptum* erit *stilo ferreo in vngue adamantino, exaratum secundùm latitudinem cordis, & in cornibus animarum* nostrarum? Quibus ergo viribus, aut qua arte tam altè insculpta desculpentur? aut quo eluentur flumine adamantino stilo impressa, inscripta ferreo? non, si maria fundant oculi, diluere hæc valeant scelera. Quid ducta suspiria, quid vota poterunt de penetrali pectoris deprompta? chalybea peccata sunt, quis emolliet? lere, 17.

Iere. 36. Et tamen quò hęc amica vox? *Reuertatur vnusquisque à via sua pessima, & propitius ero iniquitati*
Ezec. 18. *& peccato eorum.* Quò illa? *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam; vita viuet, & non morietur. omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua quam operatus est, viuet.* quid dicam nisi il-
Mich. 7. lud Micheę? *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem & transfers peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet vltrà furorem suum, quoniam volens misericordiam est. reuertetur & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Nimirum si cum
Dan. 3. Daniele clamemus: *Peccauimus, & iniquè egimus recedentes à te, & deliquimus in omnibus & præcepta tua non audiuimus, nec obseruauimus, nec fecimus sicut præceperas nobis vt*

bene

bene nobis esset: omnia ergo quæ in-
duxisti super nos, & vniuersa quæ
fecisti nobis, in vero iudicio fecisti. &
nunc nõ possumus aperire os; confusio
& opprobriũ facti sumus seruis tuis, &
his qui colũt te. Ne, quæsumº, tradas
nos in perpetuũ propter nomẽ tuum,
neq; auferas misericordiã tuam à no- Isa. 59.
bis. Neq; enim *abbreuiata est manus*
Domini, vt saluare nequeat: neque
aggrauata est auris eius, vt nõ exau-
diat. Sed iniquitates nostræ *diui-*
serunt inter nos *& Deum* nostrum:
& peccata nostra *absconderunt fa-*
ciem eius à nobis *ne exaudiret: mul-*
tiplicatæ sunt enim iniquitates no-
stræ coram Deo *& peccata nostra.*
Et licet verissimum sit illud & con-
solatione plenissimum, & quod
falli nesciat, *Si fuerint peccata ve-* Isa. 1.
stra vt coccinum, quasi nix dealba-
buntur: & si fuerint rubra sicut ver-
miculus, velut lana alba erunt; ta-
men & illud memento. *Væ qui* Isa. 5.
trahitis iniquitatem in funiculis va-
nitatis, & quasi vinculum plaustri

Isa. 40. *peccatum, Completa est malitia eius. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Et illud:
Eccl. 7. *Ne alliges duplicia peccata: neque enim in vno eris immunis.*

Exempla iam olim docent. non Sodoma & Gomorrha factæ sunt exemplum ignis æterni? cùm Do-
2. Pet. 2. minus *ciuitates* eorum *in cinerem redigens, euersione damnauit: exemplum eorum qui impiè acturi sunt ponens, cùm pluit sulphur, & ignem de*
Gen. 19. *cœlo, & subuertit ciuitates has, & omnem circà regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* Etiam in terram sæuit, & nunc vastitas ingens, & orba regio, & frustra ager est, & tantùm vrbes retro, & populi frequentes. sed & propinquum mare iuxta cum solo mortem bibit. Hactenus ergo Sodoma, & nulla Gomorrha, & cinis omnia. & censor sceleris Deus, cùm impietas ignium mereretur imbres. Quid cogitas de sceleribus tuis, cùm malitiam æui illius

illius imbribus vides punitam? Iam Israëlis in vitulo idololatriam vnam quis ignorat? an non è vestigio viginti tria millia domesticis obtruncata gladiis diuinæ iræ litauerunt? habes & fornicantem in filias Moab, sed & Eleazaro duce viginti quatuor millia vna plaga corruisse: audimus & murmurantem: cùm post mannæ escatilem pluuiam, post petræ aquatilem sequelam desperat de Domino: & cùm carnes postulat, Ægyptiorum pepones & cucumeres, fastidiens super Angelorum cibo. sed & concupiscentiæ huius monumenta vides in Core, Dathan, & Abiron, obloquentes in Moyse Domino. *Et dirupta terra est sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, ac vniuersa substantia eorum, descenderunt que viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Quis nostrum non millia numerat?

&ibi

& ibi etiam pecora, tentoria, & tintinnabula dominorum pœna plectuntur. nos qua inani fiducia peccata peccatis cumulamus?

Eccl. 3. quàm verum, *cor nequam grauabitur in doloribus, & peccator adiiciet ad peccandum*; ita plurimùm vnum delictum semita est ad secundum.

Prou. 18 cùm verò *in profundum venerit peccatorum, contemnet. sed sequitur eum ignominia & opprobrium.*

Prou. 5. *Iniquitates enim suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Quid exspectes, nisi

Ibid. vt moriatur, *& in multitudine stultitiæ suæ* cum Core & Dathan decipiatur? post quorũ vanissimam fatuitatem de prærogatiua sacerdotalis muneris æmulam, habes obloquentis murmur populi; sed & dexteram Domini murmur excipientis: *& percussi sunt quatuordecim millia hominum, & septingenti, absque his qui perierant in seditione Core.* Quid quòd ipse Moyses

Num. 16 leui tactus diffidentia, toties lassatus

tus populi querimonis, audit cum fratre, *Quia non credidistis mihi vt sanctificaretis me coram filiis Israël* Num 20
non introducetis hos populos in terrã quam dabo eis. Hęc est aqua, de qua comite petra populo defluebat. & quid hęc delicta ad iniquitates meas? quid vna Core, Dathan & Abiron obloquutio, si cùm ingentibus innumerisque sceleribus meis cõponatur, & subducta interim *in cõtradictione Core* sub pedibus terra, latam ruinam dedit: cùm etiam tabernacula, tanquam in ostentationem magnitudinis delicti, & quidquid erat opum ac supellectilis, descenderet cum delinquentibus in infernum: in quo nec paruulis parcitum est, nec pecoribus. quę si vnius merces criminis est, quid sperare debeo quod scelerum reus? & si Moysi, cum quo Deus facie ad faciem loquutus, non est parcitum; qua fidentia indemnitatem inter tot crimina cogitas? Quid quòd glriosa & illustris illa cãtatrix post

pro-

prosciſſum mare, ſtratumque pe-
Exod. 14 dibus, *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & aſcenſorem eius proiecit in mare; candens leprâ quaſi nix apparuit.* quòd
Num. 12 obloquuta Moyſi? & excluditur caſtris diebus ſeptem in teſtationem delicti. hæc orbe toto clara prophetiſſa, & ſoror Moyſis Maria.

Vnum etiam peccatum alterùmve Dauidis in Berſabea habemus. nec vllis lacrymis impetrari filio vita potuit. Lauat per ſingulas noctes lectum lacrymis, rigat ſtratum fletibus, cinerem vtpanem manducat, cilicio & ſacco tegitur, pauimento purpura illiditur, & moritur infans. potuit natare lacrymis, cinere paſci, potari fletibus, membra ieiunio inania collidere terræ, cùm docet diademata & purpuram flere, ſceptra ingemiſcere: non potuit filium eripere. & nos quid vana ſpe ludimur peccatorum molibus tanquam Alpibus oppreſſi? vbi in vicem cibi

& po-

& potus, cineres & lacrymæ? vbi pro molli culcita cilicia & vestium horror? vbi membrorum ieiuniis enectorum collisiones? atqui hæc in illo Rege, omnium quos terra vidit post Salomonem filium potentissimo. Habemus in eodem viro secundùm cor Dei, delictum secundum in populi censu, in quo censente Ioab *inuenta sunt ex Israël octingenta millia virorum fortium: qui educerent gladium: & de Iuda quingenta millia pugnatorum* super quo temerario censu indignatione motus Dominus *immisit pestilentiam in Israël. & mortui sunt ex populo septuaginta millia virorum. cumq; extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem vt disperderet eam*, & inclamasset prono Rex corpore, lacrymisque madens: *Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi: isti oues qui sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei*: vix tandem impe- 2 Reg. 24

imperauit ac excidio manum. & nos non vno censu, aut complacentiæ studio, aut arrogantię nota aspersi; sed totis scelerum imbrib⁹ compluti quid speremus? aut quas lacrymas, quas dignas preces dabimus, euertendę toties promeritę sæuientis Domini dexterę?

Salomon verò post prærogatiuas sapientię & opum, & illâ Domini vocem: *Feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam, vt nemo fuerit similis tibi in regibus, cunctis retrò diebus*: ille Regum maximus à mulieribus alienis possessus, & Moabitarum & Sidoniorū idolis mancipatus, audit iam aliã Domini vocem: *Quia non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.* Factum sub Roboa-

3. Reg. 3.

3 Reg. 11

Roboamo: nec ad Iudam Israël rediit. illud in hoc grauissimum, etiam nos de tanti Regis exitu dubios hęrere, nec timori quàm spei viciniores esse. metuat quicunque est casum in hoc vitæ lubrico. ne vestigia fallant serió prospiciendum. prępcipitio huic prępcipitium imminet. facilis est lapsus, arduus post lapsum regressus est: & quis post præcipitium spondebit reditum, cùm in tanto Rege tot diuinis sponsionibus oppulentato, stemus incerti? cecidisse familiare est plurimis, surrexisse perpaucis? ingens enim prępcipitium est cui insistim⁹, & á quo delapsum esse, letale est. timeat quicunque vel modicum aberrat. deteriora minatur error omnis, neque dolori aut pœnitentiæ nimiùm fidam⁹. nam quis hanc dabit, aut concedet tempus? tot magnis negatum, nec paucis ante Sanctorum. & quid testatiora petimus? Salomon nos docet, non doceamus nos alios. satis sit illum

præiuis-

præiuisse, nos cauisse, ne eadem incertitudo nos tangeret, raperetque dubia salute. non est lusui locus, vbi dubius euentus: si successerit infelix, reparari non potest. vbi tanquam ab aleę vnius iactu ęternitas pendet. quis temerarius de ignibus ludat? audaciot peccator omnis est, qui de ignib⁹ ludit ęternis, vno mortali crimine parandis.

Legimus & Ezechiam Regem de gazis & apothecis delitiarum suarum apud Persas gloriatum, audisse per Isaiam: *Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizauerunt patres tui vsque ad diem hanc in Babylonem. non relinquetur quidquam. Et de filiis tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonis.* hęc Regi, & obseruantissimo mandatorum Dei. vna diuitiarum ostentatio tantum promerita pœnarum est, quid facient tot in nobis delictorum acerui, totq; adeò scelerũ montes & maria? D

Isa. 39.

De Ozia nobile Scripturę elogium audimus: *Fecitque quod erat rectum in oculis Domini iuxta omnia quæ fecerat Amasias pater eius.* qui cùm adolere tentasset *incensum*, lepra tactus *super altare thymiamatis.* grauius est quod sequitur: fuitque *leprosus vsque ad diem mortis suæ.* ille Rex tam carus Domino, dum obit munus non-suum, exemplo nos suo docet, nullum delictum diù stare inultum. sanè si steterit, pœnarum grauitate moram compensat. Et pœnarum infima, immissa à Domino ægritudo est: ferè enim hæc venit à manu patris, & ad saniora ducit. 2. Par. 26

Quinquagenarij autem principes duo ab Ochozia ad Eliam euocandum missi, quid peccauerant? & tamen audiunt: *Descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos*: & ad imperium Prophetæ euocatus ignis *descendit de cælo, & deuorauit illos.* non fuit durum, vltricibus flammis cum milite tradi, delicto 4. Reg. 1.

delicto regio, nullo propè suo? aut sanè non magno suo, si magno regio.

Giezi verò quàm cita vindicta 4. Reg. 5. delictum luit? *Accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas olineta & vineas, & oues & boues, & seruos & ancillas. sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.* etiam in filios, & vsque & vsque nascituros abit lepra auri pretium; vt qui hęredes auri delicto parati, sint & lepræ nos quę lepra manet, tot scelerum maculis supra omnem lepram, variegatos? nocentior interior est non carnis, quæ superficiem radit maculata scabie; sed voluntatis quæ depascitur intima. fugiamus Eccl. 21. memores illius, *tanquam à facie colubri fuge peccatum.*

Sed & Ægyptus hospitis popul conflictatrix, decemplici castigatione percutitur, & Pharao post tot documenta plagarum, mari

discidi

discidio revolutis fluctibus cum exercitu absorbetur. *Reversæ sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec unus quidem superfuit ex eis.* Exod. 14. exercitus internecione sua delicta regis expiat, ipsáque Ægyptus virorum suorum fortium robore vndarum concordia denudatur, cùm Israël, funditus prosciſſo mari, pariqúe vtrimque stupore fixo, intestino itinere, sicco pede trañsmitteret.

Iam Assyriorum Rex quàm celeres blasphemiæ & minarum Israëli per Rapsacen intentarum pœnas tulit? in Æthiopas non faustis denuntiationibus auertitur: centum dehinc & octoginta millia de illius exercitu quasi vna messoria falce demetit Angelus. Credas indiuiduo nexu sceleri illigatã pœnam, aut inhærentem calcaneo illius tanquam viperam. fuge. sola remediatio à fuga est. blanditur! ne fide. fallet. spondet! ne crede.

mentitur. ridet! ne sequere. mor
in hoc risu est.

Nunc qui Nabuchodonosorem
Dan. 5. audit: *Nonne hæc est Babylon ma-
gna, quam ego ædificaui in domu
regni, in robore fortitudinis meæ, e
in gloria decoris mei?* Quid exspe-
ctet, nisi *Tibi dicitur Nabuchodono-
sor Rex. Regnum tuum transibit
te, & ab hominibus eicient te*; ea
demque *hora sermo completus est su
per Nabuchodonosor, & ex hominib
abiectus est, & fœnum vt bos comed
dit, & rore cœli corpus eius infectu
est, donec capilli eius in similitudi
nem aquilarum crescerent, & vngue
eius quasi auium.* Intuere regem
potentissimum vnguium aquil
num in morem efferatione, capi
lorum incuria leoninum horro
rem præferente, fœno pastum,
septennij aliquando exomolo
gesi Deum cognoscere, rediret
ad regnum. & nos quid stamus d
bij? peccauimus. quin decurrimu
ad secunda cum Rege subsidi

ceru

ceruus sagitta transfixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum: hirundo, si excæcauerit pullos, nouit illos oculare de sua chelidonia. Peccator concessam à Domino exomologesin præteribit tacitus? mutæ animæ medicinas cognoscunt, & tu neglectis à Domino oblatis, voluntaria in ignem cæcitate rues, & ignem æternum?

Erigere animè cùm Babylonio tyranno. Satis ac nimiùm etiam peccatum est. redi ad Dominum, ne improuidum rapiat sera pœnitentia. dum remedio locus est, meliora meditare. serò vulneribus mederis morte sequuta. dum vita manet, & adhuc tota anima in corpore est, manum admoue. quid hæres dubius, cùm videas regi post humanæ formæ exilium septenne, pœnitentiam functo, restitutum regnum? ne tamen fide, aut ad extrema pœnitentiam differ.

neque enim par succesſit felicitas filio. poſt prodiga enim è vaſis domus Domini vina, videt immania
2. Dan. 5 verba ſeueræ dexteræ, *Mane, Thecel, Phares. eademque nocte interfectus eſt Baltaſſar Rex Chaldæus.* Nimirum, *bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos & argenteos, æreos & ferreos, ligneosque & lapideos.* cùm *in eadem hora apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis.* Letalem ſententiam vtriuſque mortis, corporis & animæ, inter pocula & lætabundas voces, in extrema conuiuæ lubentia madidi vino, mortem excipiunt denunciatam. non eueniant hæc nobis, nec inter fercula, vina, delicias, nõ in media hilaritudine, inter riſus & iocos, mors exprimat animam, immaturam cœlo, nimis maturam ignibus, & ignibus nullo æuo mitigandis.

2. Mac. 3. Heliodorum qui videt, quid niſi Dei potentem dexteram cogitabit? equum, inſeſſorem, flagellan-

tium

tium turbam qui audit, nec nisi Onia deprecante vita donatum, quid nisi peccatum perhorrescit? comes delicti pœna est. Non carebimus comite qui non caremus duce. infelix sociatio. Vitemus delictum, & pœna iam nulla est.

Legimus & peccatricem Niniven, sed ad Prophetæ vocem scelerum pœnitentia ieiunio triduo functam, etiam pecudibus enectis, quibus iratus Deus non erat. Quoties interminantis Domini verba super multitudine peccatorū tuorum insonuerunt auribus tuis, & factus es *tanquam aspis obturans aures* suas? & nusquam cum Niniue cineres, nusquam ieiunia pœnitudinis testes, inter non imparia scelera. Quid ergo cum Niniuitis speres, solis sceleribus æquandus, nescio an non & maior? Ion. 3.

Nec infantiæ parcitur: illudentibus enim pueris, *Ascende calue, ascende calue*, maledicit Elisæus; *egressique duo vrsi de saltu, lacera-* 4 Reg. 11

nerunt ex eis quadraginta duos. Liberos ætatis illius cachinnos morte luunt. Si non parcitum infantiæ ad vnius indignantis Prophetæ imprecationem; quid non meritò vereamur non vno liberiore risu, sed ingenti scelerum mole oppressi immersique? aut quos non Vrsos merebimur, infelicium æternorum nemorum sæua inferorum rabie truces & indomitos?

In Anania & Sapphira peccatum vnum habemus. *Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto?* Et sequuta mors est, *audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expirauit.* Eadem pœna sequuta vxorem est, similis mendacij ream. Si quoties nos mentiti Domino non reddentes vota labiorum nostrorum, fœdifragi, toties essemus morte mulctati; quis è millibus supereset vnus?

Act. 5.

De Epulone Scripturæ verba sunt: *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & byssо, & epulabatur*

6.

labatur quotidie splendidè. quis non dines vestitur byllo, adeoque radiat purpura? quis non conuiuatur splendidè? *Mortuus autem est diues, & sepultus est in inferno.* non eueniant hæc omnibus. & tamen vbi delicta paria, non & exitus? Sequamur diuitem, illiusque animam post diuortium corporis ad inferna deductam. *Eleuans autem oculos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius. & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intinga extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior nimis in hac flamma.* Reposita refert. dura nimis, quia nulla prece, nullius tormentis flectenda. *Recordare, quia recepisti bona in vita tua: & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Acerba vicissitudo. Seuera præmiatio. *Recepisti bona in vita tua.* Tam labili vita,

& si æternæ compares, momentanea, ac vix tanta. Nunc *verò cruciaris.* Si pariarentur bona & cruciatio tempore & magnitudine, ferenda fòrs commutatio foret. Nunc pro tam breui purpura & epulis, cruciari æternùm? quis non perhorrescat totus? conuiuia in diuite cruciari, & cruciari æternùm? vestem in illo cruciari, & æternùm? quæ nos pœna manet, qui non epulis & byssо, sed omni innatamus vitiorum generi? à quibus vix die, vix hora immunes, peccata peccatis innectimus, tanquam securi de exitu, certi de cælo. Audiamus
Eccl. 9. Ecclesiastem: *Nescit homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo superuenerit.* Exemplo Euangelicus di-
Luc. 12. ues, cùm audet animæ suæ: *Habes multa bona, posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* cui Deus: *Stulte, hac nocte animam*

tuam

tuam repetent à te, quæ autem parasti cuius erunt?

Quousque ergo peccata peccatis ingerimus ignari de hora, certi de damnatione, & damnatione æterna, si peccatis imorimur? *Pluet* enim Dominus *super peccatores laqueos*; vt quasi dolo circumuentos arbitreris, & in die securitatis, liberiqúe cursus ac volatus, retibus implagatos. *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Hanc partem qui amat, amplectatur peccata, tanquam amica, tanquam sulphurationis & ignium parentem nec longa mora. *Pusillum, & non erit peccator: quæres locum eius, & non inuenies.* Et, *sicut deficit fumus*; Et, *fluit cera à facie ignis*, sic pereunt *peccatores à facie Dei.* Audiamus Prophetam: *Ecce ipsi peccatores & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias. Quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam, velut somnium surgentium* Psal. 10 Psal. 72

gentium Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. Quid sunt somnia? aut quid reliqui ex illis surgente somniatore suo? aut vbi vestigia somniantis animæ? quid imago somni? quod vmbra corporis, quod aëri & aquæ relictę semitę ab aue volante, pisce natante, sagitta fugiente, vento perflante & somni imagini componitur peccator. ego hæc si dicerem, insurgant minenturq; purpurati omnes. Scriptura componit: mentiri illa nescit, aut supra fidem crescere. & habes ab eadem. Psal. 36. *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut Cedros Libani, & transiui, & ecce non erat; & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Quid miramur, Psal. 91. *cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum.* Si sicut fœnum aut sicut stipula, quæ hodie est, & cras in clibanum mittitur, pereant, & in fauillam, cineres, & fumum dispergantur peccatores, quorum cùm transierint, vestigia nulla, reliqua-

liquationes nullæ sunt; quid amplexabimur, aut quò consilia nostra viasque dirigemus? si non vt sequamur monentem Ecclesiasticum: *Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te: dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi rhomphæa bis acuta eius iniquitas: plagæ illius non est sanitas.* Nam quæ sanitas in æternùm sæuiente! quæ sanitas in flammis nullo æuo restinguendis, nullo mitigandis! & benè colubro peccatum omne comparatur, cuius omnis familiaritas noxia, & contactus mors est. quodque non de propinquitate modò, sed & de longinquitate venena iaculatur. Benè leonis dentibus: quis effugiet implicatus illis? benè rhomphææ bis acutæ: in quamcunque enim partem te flexeris, quacumq; ictum exceperis, periisti. omne proinde *cor sapiens & intelligibile abstinebit se à peccatis, & in operibus iustitiæ successus habebit.* Eccl. 21. Eccl. 3.

Si tamen in peccatum prolapsi, non tardemus conuerti ad Dominum, & deprecari iudicem manum illius: vltrò enim spondet, *Si conuersus populus meus, super quos inuocatum est nomen meum, egerit pœnitentiam à viis suis pessimis, & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum.* Quare inclamemus, toto proni corpore, lacrymis madidi, singultibus ab imo corde ductis, *Peccauimus, impiè egimus, iniquitatem fecimus. Tu qui pius es miserere nostri*, Misericordia patris in peccantem filium. *peccauimus grauiter vsque in hanc diem*, Adeoque in hanc vsque horam: nec vllum propè tempus sceleribus vacuum. Transfer *iniquitatem nostram, quia stultè egimus.* Ne rogo *adcrescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea.* Sed, *auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele, secundùm multitudinem miserationũ tuarum.*

2. Par. 7.
Iud. 6.
2. Esd. 9.
2 Reg. 24
Eccl. 23.
Psal. 50.

parce

parce, Domine, *parce peccatis meis.* quousque non audis? *factus* enim *sum mihimetipsi grauis. Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* Neque enim *vis mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.* Beata conuersio, quam vita sequitur, non mors altera priore deterior, ne fiant nouissima peiora prioribus: quæque non à labris, aut supremo gutture, sed ab intimo prognata pectore, seriam morum emendationem amplectitur. Beatus, qui succensus amore Dei veraque virtutis antè mortem deligit, quàm aut innocua antè vita crimen admittat, aut semel expiato scelere audiat, Canis ad vomitum, & sus lota in volutabro luti. Antè mille tormentis corpus lacerandum obiicit, quàm ad priora redeat. antè inferorum pœnas calcet intrepidus, & per medios ignes inambulet audax, quàm vel latum crinem deflectat à mandatis Domini. antè

præeligat extrema pati sæculi alterius, quàm nouo maculare vitam crimine: adeoq; malit sine scelere æternùm ardere, quàm peccatis obnoxius æternùm gaudere, certus ibi esse Deum vbi nulla sunt crimina; ibi verò cœlum, vbi Deus est. contrà, infernum esse, à quo exulat Deus scelerum vindex. quę enim conuentio Deo & sceleri? luci & tenebris? Felix anima, quæ peccato & morte proposita, si negata fuga, in alterutrum deligendi necessitatem se redactam viderit, mortem cum Susanna peccato
Dan. 13 prætulit. præit illa: *Angustiæ mihi sunt vndique: si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Dei.* Felix quæ inter peccatum & ignem media, ignem audaci cum Thecla & Apollonia petit saltu: felix quæ è rupe pendula, hinc inferno minitante, ibi peccato al-

licien-

liciente, antè cum Anselmo in medias inferorum desilit flammas, quàm in peccatorum læta pascua spectatorem suum hilari amœnitate prouocantia. Hoc enim demum amare est, nullis intercurrentibus ab amato disiungi: non minis, ignibus, verbere, non morte proposita, quacunque tyrannide sæuiente, quacunq; carnificis manu & ingenio ferociente; & antè animã ponere quàm datam fidem fallere.

Potuit pistillo contusus in mortario philosophus insultare secretorum scrutatori; potuit fœmina antè pręmansam linguam exspuere in tyrannum, quàm prodere amicos conspirationis socios: potuit Romanus vstulantem videre dexteram, ridereque foculum adipe suo pastum; seuerior erroris sui quàm tyrannus vindex: quid faciet Christianus, hinc minis insurgentibus, inde diuite sponsione illectus? destituet amatum, prodetque tot cœlorum spon-

sponsionibus grauidus? mori Romanus potuit vt Reipublicæ prodesset, & toties mori, quoties confossus clauis, inter insomnia & dolores, animam posuit: & inclamare etiam mulier post adactum pusionem, Pæte non dolet, vt quæ iuncta viuo, iungeretur mortuo: aspides quoque alia immittere pectori; ac in medios insilire diuites ignes marito socia; aut ferro viam abituræ animæ sternere, ne cogeretur supplex esse victori; aut in extrema fortuna respondere hosti, ducem quærenti, Imperator bene est: & Christianus æternitatis spe plenus, tantoque diues securusque promisso, sanguine amati firmato, ne quid rubori desit, mortem expauescet proposito peccato? auditur vnus in mediis doloribus, & in quadam rabie ac sęuitia dilaceratorum viscerum. Benè mihi est, & habeor benè: & Christianus ingemiscet sub tormento, sub vigilia & rota, aut veste picata, certus

tus de gloria, certus de præmio? an inanibus promissis deduci se patietur ab amato, peccato mentita spe prolectante, vanis dignitatum, opum, voluptatum sponsionibus? plus spurca caro & tantùm non vermis & cinis, improbo fœdoque impulsu; plus auri & honorum nunquam saturanda fames, quàm Deus poterit æternarum sponsor dignitatum, opum, voluptatum? Hæc fierent, si ratio clauum teneret? si imperaret anima, & non caro? si mens staret? si non duram seruiremus corporis seruitutem? si qua generositas insideret pectori?

Opes & honores prouocant? prouocat & Deus. Vtrimque promissa. Inde peritura, dubia, momentanea; hinc non moritura, certa, perennatura. Quid dubitas amplecti pro dubiis certa, pro momentaneis æterna? sed & illa cùm prouocant, cùm ostentant opes, cogita *facilius camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare* Mat. 19.

in

in regnum coelorum; cogita illum cuius horrea plena Euangelicæ sequutæ minę, nec segnior mors minis. cùm promittunt honores, cogita Principes & Reges, & quidquid terris magnum, Fuisse. miserum, non esse. quòd si qui nunc in honore & ore vulgi, futurum breui, cùm audiemus, Fuerunt; & nomen nunc nullum, & cinis omnia, & mancipiis pares ossibus & cinere. cogita quàm multos vtraque hac fallaci spe luserint, quàm multos solo promissorio verbo dimiserint inanes, quàm multos sola sponsione rebus vidua lactauerint; quàm multis denique è millibus, vix vnum alterúmve ad sperata deueniisse. atque ex his paucis, nescio vnus aliquis sorte sua quantumuis ampla contentus vixerit; adeò crescentibus opibus & honoribus curæ crescunt & sollicitudines indiuiduo illis nexu iunctæ; vt quamdiu illi, tamdiu istę. augentur opes & honores, ac quasi

per

per gradus tendunt ad sublimia, comitantur iisdem gradibus passibusque fidâ custodiâ latera claudentes sollicitudines & curę; nec antè deserunt quàm eodem monumento claudantur.

Allicit caro, bellua veriùs quàm socia? propone ignes. & indignũ viro tam ignauæ succumbere. animam cogita & carnem, vtriusque dignitatẽ metire: & quàm æquum sit imperare, quàm parêre. oblectamenta quęris? animę quęre. cuius eo prętantiora sunt, quo anima antistat carni. sin peritat importuna illectrix: mancipium cogita: loro, maceratione, verbere doma. Mortem deinde cogita. Fòrs eodem momento sistendus iudici, feriendus inexorabili sententia durę ęternitatis. nec nouum hoc euenisse plurimis, posse & tibi. quid si ueniat? si te capiat mors improuidum, inopinatum, imparatum, & in medio assensus praui? serò tutiora cogitas

confixus iaculis, serò receptui canis, confossus telo, serò de domo cogitas, ruina oppressus, serò pœnitudine tangeris, clade accepta. & quis prudens in securim & crucem coniicit emendanda? quis in ignem & tormenta? ante decuit; & vitanda malorum caussa. Nam malo iam parato deliberationi præclusa ianua est.

Omnium verò quę vbique sunt malorum caussa peccatum est. Ex hoc tanquam caule, flore, fronde, ramo, trunco, radice, semine, nascuntur omnia. Præscinde non caulem aut florem, sed radicem; & euiceris. Et tamdiu vrge, vre, seca, ignibus etiam admotis, quamdiu reliquum aliquid est prioris. nec fide resecto trunco; radix petenda est. Neque illa à superficie terræ radenda; excandicanda funditus est. Proscindenda terra securibus, aratro, ligonibus altè euertenda, vt nequa vestigia aut præteritorum memoria maneat. sic denique beatam

tam vitam duces. Si non potes ad hęc magna in tam maligna terra; quin exurgat & sese ostentet malum, ne dormi. Vt primùm se prodit, falcem admoue, ne parce, nec ad maturitatē cultrum reiice. dum tener est frutex, dum se quasi in culmum erigit, ferrum adige. Ne si omni simul parte succrescant zizania, frustra victoriam speres. Conatus omnis à quo triumphus exspectandus, à primis initiis est. nam si coloni ignauia adolescant zizania, antè quod reliquum est spei bonę fœcunda malignitate sua suffocabunt. ferè namque maligniſsima quęque fœcundiſsima reperies. Ergo dum tener est frutex, nec adhuc cōaluit in arborē, dum velli manibus potest, conatum adhibe: nam pòst, ferro ac ignibus opus erit. ac ne sic quidem nisi importuno labore viceris, aut subegeris malum.

Denique cogita hic peccatum, ibi Deum vindicem, quis latro sub gladio

gladio & fune scelera meditatur? quis in oculis iudicis, & in momentò ferendæ sententiæ? quis admotus ignibus & rotæ? quis vibrato iam ferro? Audentiora habes in peccatore. quem alius ensis, funes, ignes de vicinitate premunt de sęuitia minantur, de æternitate terrent. non ille temerarius, adeoque extremè fatuus audiat, quem propositi ignes, & iamiam immittendi leones, craticulę, laminę forcipes non auocant à facinore? & quid hæc temporaria, & paullò pòst non futura, ad æterna de propinquitate certiora? ludi illa sunt & pictæ fabulæ, ac non nisi corporis huius vmbręe, ac ne vmbręe quidem. & quale lumen arbitrari candelę ad solem? maius etiam discrimen inter sæculi huius ignes & æternos est. illi tamen si te à crimine reuocant; quid facient ęterni, fòrs cras, fòrs hac hora, fòrs hoc ipso momento ruituri, & te in ęternam miserandam infelicitate

deturbaturi? Hęc meditare: & de facili vinces quidquid te in peccatum trahit, quidquid allicit. si non eoincunt, causſa eſt, quòd de ſuperficie tantùm cogitata, non tranſeant ſupremam cutem, non labra, aut capitis crinem. immitte cordi ſerius cogitator, committe menti diligens ſcrutator: nec in ſummo natet hęc cogitatio, ſed ima petat, tranſadigens quidquid fibris latet abditum, quidquid concreditum animo: ſedeatque infixum pectori altiùs, quàm vt vlla ſęculi vis dolùsve vel latum capillum loco moueat.

Et vt deſint reliqua, ſola cogitatio pręſentis intuentisque omnia Dei, terrere quemcumque meritò à delicto poſsit & debeat; terret parentis, terret domini, quantò potiore iure Dei: & verum eſt illud Stoici; *Magna pars peccati tollitur, ſi peccaturis teſtis aſsiſtat; quem animus pereatur, cuius*

cuius auctoritate secretum suum sanctius faciat. Felicem qui talem perpetim ob oculos habet, ad cuius memoriam se componat. hinc illud eiusdem est, *Opus est aliquo, ad quem mores nostri se ipsi erigant.* Nisi ad regulam praua non corriges, & quę regula certior Deo? quo latera claudente cingenteq; non fidem superat omnem peccatum peccato cumulari? in illius oculis sceleribus se obstringere? manum ipso inspectore, & paullò pòst iudice, facinori admouere? Hęc qui faciat, ego illum arbitrer credere pręsentem esse Deum? illum abditissima intueri cogitationum nostrarum? quis in oculis Regis, iudicis, domini, audeat luenda patrare? si patrat, tu illum putas integro esse capite, aut scire pręsentes? & in animum inducam meum, integra illum esse fide, imò vlla illum esse fide, aut cerebro, qui in oculis Dei committit morte non multo pòst pianda, & morte

æternâ

æterna? procul hęc amentia & insana fatuitas; procul hæc fidei diminutio à Christiano capite. Peccatii? excidisti à Deo, ab hæreditate cœlorum promissa, factus mancipium diaboli, hæres ignis æterni. quæ si placent, amplectere peccatum, inuoluere criminibus, & momento pòst exspecta nullo æuo restinguenda, nulla ęternitate mitiganda, nullis precibus, lacrymis, suspiriis, pœnitudine minuenda.

Quid, quòd peccatum ipsum, vt desit inspector Deus, terrere vnumquemque debeat, sola mentis quadam corrosione ac veluti deuisceratione. lusit ad hoc Poëta:

Rostroq; immanis vultur obunco
Immortale iecur tundens, fæcundáque pœnis
Viscera, rimatúrque epulas, habitátque sub alto
Pectore: nec fibris requies datur vlla renatis,

cùm intus animum crimen pulsat, editque exeditque infelici natu

renatúque viscera; non dies, non noctes concedens curarum vacuas. hinc dira insomnia, & inter blandas quietis necessitates, & amicum corpori soporem, timores & trepidantia sequuntur corda, ac palpitantia viscera. non minùs ad hæc eleganter, quàm verè Satyricus.

Nocte breuem si fortè indulsit cura soporem,
Et toto versata toro iam membra quiescunt;
Continuò templum, & violati Numinis aras,
Et (quod præcipuè mentem sudoribus vrget)
Te videt in somnis, tua sacra & maior imago
Humanâ turbat pauidum, cogitque fateri

delicti magnitudinem & immanitatem patrati criminis, quam nullus sopor restinguit. horrores exhinc & tremuli artus, suaque collisione graues, ac ingens omnium

diffi-

diffidentia: non damus cuiq; sua,
aut thalamus satis tutus.

Hi sunt qui trepidant, & ad omnia
fulgura pallent,
Cùm tonat. exanimes primo quoque
murmure cœli,
Non quasi fortuitu, nec ventorum
rabie, sed
Iratus cadat in terras & vindicet
ignis.
Illa nihil nocuit? cura grauiore ti-
metur
Proxima tempestas, velut hoc dila-
ta sereno.
Præterea lateris vigili cum febre
dolorem
Si cœpere pati, missum ad sua cor-
pora morbum
Infesto credunt à Numine, saxa
Deorum
Hæc, & tela putant.
Has patitur pœnas peccandi sola
voluntas.
Nam scelus intra se tacitum quis
cogitat vllum
Facti crimen habet: cedo, si conata
peregit?

Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat,
Faucibus vt morbo siccis, interque molares
Difficili crescente cibo.

Ingens tormentum animæ peccantis, cùm à seipsa impetitur, & à domestico laceratur carnifice. hinc est illud eiusdem:

Cur tamen hos tu
Euasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Poena autem vehemens, ac multò sæuior illis
Quas aut Cædetius grauis inuenit aut Rhadamanthus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

Et alterius breuitate sua elegans gratumque:

Quod quisque fecit patitur, auctorem scelus
Repetit,

Repetit, subque premitur exemplo nocens.

Monet in hanc sententiam Prosper: *Quid, quòd in peccantem etiam sine humano iudicio conscientiæ iudicantis tormenta desæuiunt, & mali sibi conscium mentem ipsæ etiam cogitationes secreti reatus, cruciatoria recordatione conficiunt?* Lib 3. de vita contemp. cap. 11.

Fateor, aliquando tanquam in alta pace peccatorem viuere: cùm nimirum in profundum peccatorum venerit. quæ ipsa inquietudine longè detestabilior est. nam quamdiu mens agitur, spærari meliora possunt, ac à turbatæ mentis inquietudine, ac quasi intestino ciuili bello pax sperari, deposito per pœnitentiam, lacrymas, supplices ad Deum preces, vitę morumque in melius emendationem, peccato in hoc domestico Oceano piraticam exercente. Quòd si semel atra nube sua Solem omnem lucemque excluserit, noctemque pro die induxerit, vt iam delectet in

tenebris ambulare, assuetaq; mens noctibus, aut non tangatur tenebris, aut has pro luce amplectatur; desperata salus erit, nimiumque deflenda conditio, & phrenesi ac maniæ similis, quæ tenebras pro luce amplectitur, pro pace bellum, pro interitu salutem, pro dignitate dedecus, ignes pro cœlo, tormenta pro deliciis, mortem denique pro vita, & æternam mortem pro vita æterna. misera pax ex peccatorum accumulatione nata: mutuo namque se peccata tanquam mutuo inuitatu ac tractu sequuntur, credas ab vno dependere filo, nam licet aliquis adhuc in illis sensus est, peractis

Criminibus; tamen ad mores natura recurrit

Damnatos, fixa & mutari nescia Nam quis

Peccandi finem posuit sibi? quando recepit

Iectum semel arcirca de fronte reberem?

Quis

Quisnam hominum est quem tu con-
tentum videris vno
Flagitio? Dabit in laqueum vesti-
gia noster
Perfidus, & nigri patietur carce-
ris vncum,
Aut maris Aegæi rupem, scopulosq;
que frequentem
Exulibus magis.

Ita nullis sceleribus nisi cum morte finis. nulla pax crimini. nisi illam pacem arbitreris, quæ à congelidatæ mentis frigore nascitur, quo cincta, & cælestis Solis, & auram luminis gratiæ auersatur, sed cadaueris instar aut emortuæ carnis, sensu omni spoliata, non aculeos, non diuiniores immissos stimulos persentiscit. sic ignaua quadam cęlestium indolentiâ, aut meliorum insensatione, torpentem ac ignauescentem spiritum trahit.

Hæc est pax improbę ac cadauerinæ mentis, quæ ducit ad interitū, ad præcipitium scelere tanquam

nube velatum, quę tormenta ſpecioſo nomine mentitur, quę ignes oppanſo facinorum mantello tegit, quæ recta planaque via ducit ad infelicem ęternitatem. Odiſſe meritò hanc pacem debet quiſquis meliorem amat, quiſquis æterna cogitat. inimica illa cœlorum paci, inimica Deo, ipſique adeò inimica eſt animę, cum qua æterna bella gerit, nullo æuo finienda, nullo infelici ęternitate minuenda. vbi mutua corporis animęque nunquam ponenda odia, æterna inuicem deteſtatione, laceratione, nullo temporis procauſa expianda, nullo mitiganda. Hęc eſt pax tranquillitasque ſceleribus nata, quæ rediuiua ſemper odia æternaturo profundit partu. Admirata olim vetuſtas Alcidem ſternentem Hydram,

Cùm duplices pareret vulnere mors animas.

nec admirata minùs, cùm vidiſſet,

Gaudentem ſtrato latus acelinare leoni.

maiores

maiores, si non animos, temerarios tamẽ ausus grandiores in peccatore reperies: qui cùm non ignoret omni leone peccatum ferocire immaniùs, illius non procumbit lateri, sed ad ima demittit viscera, è quo non rediuiuę animę iterum ferro depugnandę, sed centuplicatis vicibus exurgant tormenta nulla ætate moritura: neq; iterum nascitur us Herculeus labor. sed.

Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Sæuior intus habet sedem,

& peccantia depascitur viscera. ita immortales morsus in immortali grassantur corpore, bellaque, ęternùm relegata pace, sæuiunt ęrerna.

Hi scelerum fructus, & tanquam mortiferę arboris suæ fatalia poma, infelicis culmi sui noxium triticum, nefasti caudicis sui flos nefastus, venenarij palmitis vua morticinia. caue quisquis teipsum amas, quisquis animam Christi san-

quine purpuratam, vendicatam. nimis carè emitur tam vilis pretij nociturum præmium. ne crede magna pollicenti. mentitur. nisi magnum sit æternùm vri. neu fide mollia spondenti. nisi molle sit flammis exedi nō morituris. quid sauū & mella speras? fellea omnis peccati præmiatio est. quid delicias & oblectamenta venaris corporis? plus semper mœroris quàm gaudij reperies. fugiūt gaudia omni velociora telo, aue, nimbo, vento, flumine: manet pœnitudo omni colocynthide amarior, omni venenosior toxico. semel enim hoc à quacunque venenaria lue prognatum occidit, peccatū æternat infeliciore vita quàm interitu.

Lib. 3. de vita contempt. c. 12.

Scitè Prosper peccati præmia depinxit *In inferno autem peccatorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus, poenalis sensus, torquent animas nec extorquent: puniunt corpora damnata nec finiunt:*

quos

quos ideo sibi deputatos ignis inextinguibilis non extinguit, vt permanente sentiendi vita, poena permaneat, & ad dolendum magis quàm ad viuendum æternis corporibus compeditos habeat, quos in flammis vinacibus immortalitas secundæ mortis occidat. Verè viuaces flammę, quę nullo æuo extinguuntur, nullo moriuntur: sed perenni vstione tanquam perenni vita in damnata sæuiunt corpora, nouis semper ac quasi rediuiuis auctibus crescentes. Hinc illa eiusdem prudens monitio: *Si eo tempore quo quis peccare deliberat, sana mente consideret, quæ poena exspectet in suis facinoribus ac flagitiis deprehensos, quod supplicium conuictos excruciet, qui tremor membra quat æ, pallor ora perfundat; quantum denique humiliet, & execrabiles omnibus reddat, etiam ipsum sordidæ opinionis opprobrium, nescio an possit quibuslibet vitiis accommodare consensum.* Vt sanè prodigio simillimum sit hæc cogitanti Cap. 18.

peccata obrepere, excidere scelera, neq; æternorum tormentorum, semperq; ardentium flammarum memoriam impellentis ardorem criminis extinguere posse.

Quis latro non se retrahit fune pendente? quis non continet dextram sicarius sub carnificis manu? quæ non improbitas conticescit iudice spectatore? quis perduellis sub securi mediata non reprimit facinora? quis fur in compede & laqueo prædam circumspicit? cadit omnis audacia, mitescit feritas, subsidunt scelera, si ferrum, crucem, forcipes, candentes laminas, rotas, ignémve admoueris. & tanquam niues sole aut igne medio, ita omnis malitia, iudice, tortore, pœna sæuiente delinquit animo: aut tanquam ignis flumine Oceanóve proruente ardentes reprimit minas, irasque ponit, nec iam vltrà ignis: ita quantumuis immanis ferocitas, tormentis insurgentibus submittit animos, nec iam scelera

sunt:

sunt: & peccator tamen iudice imminente, tortoribus immanè sæuientibus, perennibus sæuùm vrentibus cinctus flammis, igneo miserando prȩcipitio proximus, infelici ȩternitate proposita, nullaque vel momenti vnius certitudine concessa, scelera sceleribus accumulat; facilemque illis porrigit dexteram momento fòrs pòst æternùm vrendam, cruciandam. nulla commiserationis, nulla in omnem æternitatem laxamenti spe concessa. at hæc peccatori eueniunt ob breuissimi temporis fruitionem, ob fugitiuarum oblectationum, momentanearum deliciarum, perituraruмque opum tenuem moram. ita fugientibus, omnique vento ac sagitta pernicioribus æterna infortunatissimâ vicissitudine succedunt. vt meritò exclamet Augustinus: *Verè nimiùm miseranda & plangenda conditio est, vbi citò præterit quod delectat, & permanet sine fine quod cruciat.*

De honest. mulier. cap. 3.

sub momento enim, libidinis impetus transit, & permanet sine fine infelicis animæ opprobrium. Ita planè est. Momentanea delectatio quantis æternitatibus luitur? quantis tormentis exsoluitur? quantis ignibus expenditur? dura fatuaq; commutatio, momentanea æternis.

Quandocumque ergo voluptates, honores, opes prouocauerint, æternitatẽ admoue, in hanc mentem oculosq; fige. prudenter Gregorius: *Quæ maior stultitia, quàm propter bonum momentaneum perdere bonum æternum? quid insanius, quàm propter modicam voluptatem carnis, æternis se obligare incendiis?* quantum malorum in vno scelere? momentanea voluptate, auroq; & perituris honoribus vinceris? æterna spoliaris gloria, voluptatibus, opibus æternis; ignibusque cruciaris æternis, opprobriis & egestate æterna. Societate deinde excluderis beatarum mentiũ æterna, fruitione diuinitatis æterna: dæmoni-

In Moralibus.

monibusq; in ignibus associaris æternùm. Fortiter in hanc sententiam Augustinus: *O quanta iniquitas, quanta peruersitas, vt animam quam Christus suo sacro sanguine redemit, luxuriosus quisque propter vnius momenti delectationem libidinis, diabolo pessimo inimico suo vendat ac tradat!* De honest. mulier. cap. 3.

Quàm grauis deinde iniuria à peccatis irrogetur Deo, serius inuestigator cogita. Sanguine illo scelera nostra luit, sanguine lauit, expiauit sanguine. quid, quòd etiam pascat sanguine, famemque sitimque leuet sanguine? ita prodigus sui, non corpori, non sanguini, non parcit animæ, vilis ipse sibi. Quasi cœlum sine peccatore sordeat, & indignetur solitariæ gloriæ, socios asciscit. Deerant iusti, peccatores excludebat cœlũ. quid faceret mens pia felicitatis nostræ auida? quid faceret miseratio perdere nescia? quid ignara misereri iustitia? vtramque iunxit, cùm vtram-

vtramque sanguine suo explevit. Hunc sanguinem non proculcat, quicumque graviore se obstringit scelere? non contemnit, qui hic sanguine vetante, ibi peccato proritante, momentaneæ oblectationi sanguinem postponit? minor enim & inferior illi sanguis, & Christi sanguis, peccato est. nam si non vilior minorque, quid sequitur peccatum sanguine neglecto? non ille apud nos maior, cuius imperiis paremus, cuius famulatui subdimur, cui proni ancillamur? & non ille peccato famulatur, qui ad illius imperia facilis flectitur, qui monita obaudit, qui vocanti paret? qua ergo mente arbitraris Dominum, cùm videt sanguinem suum peccato posthaberi? tantumq; pretium cœlo terrisque infinitùm nobilius, præ momentaneis negligi?

Invitat peccatum, & animam ad se pellicit vana ostentatione, inani diuturnitatis spe, fallaci mora? at

clamat

clamat ex aduerso Christi sanguis, hiantiaque toto corpore vulnera. Quò æternùm moriture ruis? intuere pignora pro te pendentis Dei, clauos, flagra, lanceam, coronam spineam, sanguinem venis tanquam fluminū ostiis fluentem, cælumque terramque, & quidquid orbe toto est rigantem. si hæc non explent barbarum & crudele pectus tuum, quid speras? explerent, si peccatis finem statueres. nunc cùm veteribus noua accumulas, quid aliud facis, quàm vt non saturatus vna cruce, vna morte, noua pares vulnera, clauos, crucem nouam? Et toties reus, toties Domini, Regis, Iudicis, Parentis, Dei interemptor, quid exspectas? si ad explendam iustitiam tam immane sæuiendum fuit in innoxio Christi Dei tui corpore; quibus tormentis domestica expiabis scelera? quibus ignibus Iustitiæ litabis?

Consule proinde tibi animæque, dum tempus est, dum permittit

eit ætas. & vbicumque peccatum inuitat, vulnera oppone sanguinemque Christi tui. vbicumque te peccatum mendaci pellicit ore, vultu, fronte, genis, oculis; obtende crucem. adde, quidquid sceleribus est, momentanũ esse, quidquid in pœnis, æternum: quidquid in illis, leue & fugienti similimum esse; quidquid in tormentis, perennare. sanguis ergo te moueat & æternitas, ne nociturus dedas manum. Nulla tanta peccati vis est, quam non de facili Christi tui crux repellat & æternitas altiùs defixa menti. quocunque ergo peccato prouocante, quocunque allicience, cœlum intuere, abdicationem æternaturæ gloriæ; infernum intuere, adiudicationem flammarum perennaturarum; terram intuere, & in ea de curce pendentem, crudeliterque lacerum Christum tuum corporis, sanguinis, animæque suæ prodigum; teipsum intuere, fòrs patrandi criminis momento

mento rapiendum? cogita contigisse plurimis, posse & tibi. Si non restiteris, teque obduraueris aduersus illas Sirenum voces, præmia cogita nullo fine ponenda, pœnas felici fuga æternùm abactas; Christum benevolentiæ dexteram protendentem, amplectentem, intimisque amoris nexibus sibi colligantem, adeoque totum se in te, teque in seipsum totum beata metamorphosi transmutantem.

CAPVT III.

PALATIA, AGRI, OPES. *Quantum ab his sperare debeas, quàm validè inniti, hic videbis. Discès momentum sæpè inter surgentia cœlo tecta, & vilem interiacuisse cinerem. Vt vetus dictum sit, Campus vbi Troia fuit, veterisq; ramalia fagi: vbi regna, sterilis auenæ; vbi hortorum pratorumq; amœna, macri nunc cespitis gleba.*

vbi

vbi aurum & gemmæ, vix negle-
cti ramenta ferri. Disces deinde-
ctum verè, Nihilo te opulentio-
rem excipiet terra, quàm à matris
acceperat vtero. nudum hic te de-
derat, nudum illa excipiet, inue-
ſtem, inornatum, naufragum. Di-
ſces denique ab his vilibus peri-
turisque ad cælorum magna ver-
ticem tollere, dignumque his ſudo-
rem ſpargere: quòd ſi qua maior
etiam neceſsitas preſſerit, non in-
glorium ſanguinem fundere tan-
quam ſemina, cælo, diuite ſinu, re-
ponendorum fructuum.

VAnitas vanitatum, & omnia vanitas. quid his imorimur? Intuere exitum; pœnitebit te horum. mors & æternitas, & alterius ſæculi non morituræ flammæ quid loquuntur? quæ ſi placent, aggredere ſæculi huius vana. Iam res ipſæ quàm inanes? quàm omni melioris ſucco viduæ? quàm emedullatæ robore, neruis, adipe? quàm emar-

cida

cidæ, e
que i
rum &
mania
dantib
cum ſec
midico
tico, Po
tico, In
nico, B
quò mi
quò Ale
dicis cr
na artifi
gnum i
ſpeculo
eram, c
quid ſi
marmo
tut mill
dde ab
xandrin
Pyrami
pſas de
bus ab
tas: ad

cidæ, exsuccidæ, sanguinéque vi-
que inanes? intuere singula. au-
rum & opes quid sunt? quid im-
mania cœlo turgentia palatia, su-
dantibus marmoribus, rupium cir-
cumsecus crustis vestita? hic Nu-
midico, Lesbio, Æthiopico, Cre-
tico, Pontico; alibi Niliaco, Basal-
tico, Indico, Cycladico, Germa-
nico, Belgico ludente marmore?
quò mihi hæc maculosa varietas?
quò Alexandrina marmora Numi-
dicis crustis distincta? quò segmi-
na artifice desculpta manu? an ma-
gnum in marmore videri, qui in
speculo, aut littore cum Poëta po-
eram, cùm placidum staret mare?
quid si ex vna rupe varium stet
marmor multarum onus nauium,
aut mille boum imane plaustrum?
adde ab obelisco Thebaico, Ale-
xandrino, Sphinge, ab Ægyptiis
Pyramidibus, adeoque Pyramides
ipsas defatigato mari & flumini-
bus ab terrarum vltimis deporta-
tas: adde porticus superstantibus

mutuo

mutuo columnis, vario omnes marmore aut ære diuites: laquearia etiam auro densè non dicam tecta, sed celata, quasi in inuidiam & diuitiarū contemptum, aut musiuo lassata opere, dum è versicoloribus lapidum frustis tanquā docto penicillo, vetera, nupera, nostraque referunt. Dum operosa & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur. (*gurii,*

Non istis olim variabant tecta fi-
Cùm paries nullo crimine pictus
erat.

Iam gradus quibus in superiora nitimur, audaci Dędalęa fabricatos manu, tanquā torno ductos, sinuosis circumuolutionibus inerrantes, hic medio ludentes cylindro, ibi superbo margine auroq; grauido, alibi Polycletea, aut Phidiaca sectione in Onychino aut Carystico marmore ad miraculū varios? quis è Thasio monstra marmore sub gradibus & columnis gementia, vt cœlorum sustētacula Adāmtes cre-

das.

das. ædium reliqua quis enarrabit?

Et quò hæc domino suo? quò regna & prouincię, additusque ager agro? O vani! Campus vni domino qui populus cepit angustus est. ita nec prouinciarũ, ac ne regnorum quidẽ terminis cupiditas claditur. vbicunq; dein amœnior locus, noua luxuriæ diuersoria excitamus, alibi imposita montibus in valtum terrarũ marisq; prospectũ; alibi ex plano in montiũ altitudinem deducimus. quid hortorũ nemorumq; referam lætos gratosque dominis suis in alienis erroribus ludos? quid superos inferosq; fontes? quid Arabiæ monstra, quã biberant aquam vomentia? quid rupes, speluncas, valles, montesq; locis non suis natos? quid in peregrino solo siluas, flumina, lacus? quid ad naturę inuidiam consitorũ nemorũ in mille figuras portẽtosam varietatem, & quidquid ars v a luxurię laborauit? iam flores pomaq; ex alieno orbe in nostrũ traducta,

quid

quid facient? nam quò mihi hęc? meliorémne possessorem suum statuent? aut non maiora cupere ab his discet quicunque hæc possidet? aut quid valetudini bonę, quid memoriæ, ingenio, iudicio, prudentiæ, constantiæ, fortitudini, castimonię ex his accessit vnquam? poculis aliquis addictior, crapulæ, incontinentię, superbiæ, iracundiæ: augustior accessit ager, siluæ non sponte natæ, torrentes insomni domino ducti, palatia quasi in naturæ contemptum, Ramniseo Mitreóve marmore strata, prouinciæ & regna, quidquid nullis accessionibus, non orbibus ipsis explenda cupiditas audeat vouere: quidquámne ebrietati, voluptatibus, arrogantiæ, auaritiæ decessit? aut quidquam continentię, modestię, liberalitati, prudentię accessit? detractum aliquid vitiis, accessit virtutibus? Possidet aliquis agrum mente non satis integra: additus alter restituit men-

tem

tem & hominem suum sibi? nunquam cucurbitæ naturam mutant, cingantur licet gemmis, vinciantur auro. tolerauit alter vitam pertenui casa spissatis ramalibus, aut fronde congesta, aut gregali tectorio aut nullo inducta, aut effossa quapiam rupe, aut exesæ arboris trunco; addita exin multorum morte prædia, &

Horrea fœcundis indeficientia mensis.

ciuicæque suburbanæque domus. tardóne insulsoque domino ingenium acuerunt, sapientiam docuerunt? nusquam cardui rosæ, beta viola, quercus lauri, vrticæ lilia sunt. Pannis quisquis obsitus & pertenui sago, pane, & sale, modicoque lacte & aqua non vnum exegit annū; obuenit inexspectata hereditas, ampla & latè patens, quæ vrbes & prouincias secum traheret: hinc pro vili pallio purpura & gemmeæ torques, & vestiendis aulæa parietibus murice & auro

grauia, creuítne creſcentibus ingenium opibus? nihilo meliorem faciũt aſinum clitellæ adamantinæ, conchyliata ſtrata, Phrygia, Ægyptia, aut Babylonica picta acu, villoſa gauſapa; quàm ſtramenta horreo delata, aut ruſtica depexa manu. Quid ſi accedant regna & imperia? an ex Neronibus, Caligulis, Heliogabalis, Vitelliis, Antoniis, Commodis, Fabricios, Curios, Cincinnatos, Fabios, Æmilios, Scipiones dabis? etiã Phocas poſt imperiũ Phocas eſt. & non ferè ignauiſsimis quibuſque deterioribuſq; obueniunt auguſtiores opes?

Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, ſpargit que manu
Munera cæcâ, peiora fouens;

Ita tamen vt ſpongias illos faciat poſtquam affatim biberint.

Iam, non extra hominem ſuum agri & horti, palatia & vrbes, prouinciæ & regna ſunt? niſi quod ab his etiam deteriora diſces.

Prim

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæculæ luxu
Diuitiæ molles.

Et dictum verè,

Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo
Paupertas Romana petit.

Licentiæ enim materies, auaritiæ, fastus, cupiditatis, opes sunt. à quibus prudentiam, continentiam, fortitudinem nemo didicit: didicit arrogantiam, molles animos, alienum torum: hausitque metus, diffidentię & æmulationis semina. hinc illę voces,

Et me quem dudum non vlla iniecta mouebant
Tela, nec aduerso glomerati ex agmine Graij,
Nunc omnes terrent vmbræ, sonus excitat omnis
Suspensum, & pariter comitique oneriquetimentem.

Cùm illum, ante opes, non tela

vibrantia, non arietata inter se agmina agminis densi, non vrbis impulsæ fragor territaret, aut de statione moueret.

Quantos deinde, omni historia teste, vidimus regnorum accessionibus è Curiis Nerones, ex Alexandris Darios. nullos è Neronibus & Dariis Curios aut Alexandros factos; ita ferè cum potentia crescunt adeoque nascuntur vitia, vt opibus congenita credas, fœcundasque has vitiorum esse matrices. Sanè egestati, vt voluntas suppetat, negata sceleribus materia est.

Et tamen vt aliquid diuitiis concesserimus, ac nescio quid illis felicitatis inesse; quamdiu concessis aut improbo labore partis fruimur? quis sæculum spondeat? quis medium? quis annos decem? quis vnum? quis mensem, adeoque diem? Et quæ hęc felicitas tam volubili rotæ, tam incertæ insistens? Quid, quòd nullo non tempore

mori

moriamur? quoties enim vitę pars aliqua demitur, morimur; & tunc etiam cùm crescimus, vita decrescit. Vt enim clepsydram non extrema arena exhaurit, sed quidquid antè defluxit: ita vltima hora qua esse desinimus, non sola mortem facit; sed sola consummat. tunc ad illam peruenimus, sed diu venimus: ita dum viuimus morimur, crescendo decrescimus, nouosque auctus noua comitatur decessio, incrementis noua sociantur, decrementa paria, vt quantum accedit, tantum ipso momento decedat: nisi quòd propiores semper termino simus. Nam licet ad mortem extrema hora perueniat, accedunt tamen omnes. hinc illud est,

Viue memor leti. fugit hora. hoc
quod loquor inde est.

O inanes cogitationes nostræ! quousque tam fragili felicitatem metimur? viuimus. & immergimur opibus vt æternùm possessuri:

Hic nullo fine beatus
Componit opes, gazis inhians,
Et congesto pauper in auro est.

Ille adnectit veteribus opes nouas, & antè mors finem rebus, quàm cogitationibus facit. Etiam in ipsa morte, si quid alterius morte accesserit, lætabundi nuntia accipimus. ô stolidi! cui hæc accessio? an comites speras opes, & ne in comitatus eas, aurum paras? gemma fòrs cinget latus? hortíne, nemora, fontes, & seruorum agmina densabunt dominum? fallaces spes nostræ! nudi nascimur. Et mox regna nos non capiunt. nudi rapimur è medio magnarum cogitationum & moliminum. nudi sistimur iudici parcere in illa hora nescio: hodie, cras, incertum an hac hora. & tanquam æternaturo inhiamus auro. Nascimur, morimur, nulla aut diuitiarum aut prærogatiua generis, nec ab impari pendemus vbere: nisi quòd plurimùm diuite manant lacte, quæ

paupe-

paupere integuntur panno. fouemur exinde pannis, cunis, fasciis, & quod infantiæ ac pueritiæ est, opum generisque ignari, pares decurrimus. nulli hic fastus. bullæ & aues, inequitatæ arundines, & nutricum genua quod discrimen dabunt? admonuit mors iaculum, pares cadimus, tam vilibus tegendi quàm nati. intermedia tempora quanta sunt? quàm torrenti similia, fumo, vento, sagittę, nubibus?

Et hęc sunt illa magna. quę calcanda & premenda natura dedit, propter quę calcamur & premimur. propter quę nunquam pacem gerit ferrum. propter quę orbem totum cędes inambulant, nullaque crudelitas modum statuit, nulla nouit. propter quę occisarum gentium glorioſa scelera in triumphum ducimus, propter quę alterno natamus sanguine. hinc furta & rapinæ priuatim vetitę, publicè iubentur; & quę clàm

commissa publicè luenda sunt, laudamus palàm: quæ noxia & monstruosa à singulis, ea ab vniuersis facta prędicamus. Quid quòd & venales inuicem facti? primum enim sumumque quod quærimus, non quale est, sed quantum. Ad mercedē pij, ad mercedem impij. honesta, si qua spes lucri, sequimur: in contrarium transituri, si plus scelera promittant. etenim

Rem facias. rem
Si possis, rectè: si non, quocunque modo rem.

Et à prima iam tum ætate decantata hęc à nutricibus, inculcata à parentibus creuerunt nobiscum:

Quærenda pecunia primùm est
Virtus post nummos. De moribus vltima fiet
Quæstio. Quot pascit seruos, quot possidet agri
Iugera, quàm multa magnáque propside coenat:
Quantum quisque sua nummorum seruat in arca,

Tantum

Tantum habet & fidei.

Et non iam

Auro pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur? mox sine lege pudor.

Vnde hæ frequentatæ non ab vno aut plebeiorum infimo voces,

Sine me vocari pessimum, vt dives vocer.
Non quæ & vnde; quid habeam tantùm roga.
Aut dives opto viuere, aut pauper mori.

addamus & illas, ne quid desit ad omnem fatuitatem:

Benè moritur, qui dum moritur lucrum facit.

Quid quòd ab opibus vnumquemque metiamur? hinc illa,

An dives, omnes quærimus? nemo, An bonus.
Vbique tanti quisque quantum habet fuit.

inops est, & angusta re familiari pauperem vitam degit: impru-

dens est & ignarus humanarum rerum. accesserunt opes, quocunque Oceano, quacumq; via delatę, ęqua iniqua nihil admodum interest; momento prudens est, momento acclamant

Euge, omnes. omnes benè mira eritis res.

Et ipse iam diues

Aspice & hæc, si fortè aliquid decoctius exit.

Ita momẽto nobili metamorphosi è fatuo sapiens factus est.

Omnis enim res
Virtus, fama, decus, diuina humanaque pulchris
Diuitijs parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam & Rex,
Et quidquid volet.

Nec quenquam reperies,

Lusco qui possit dicere, Lusce.

Neminem qui audeat ne in amici quidem aurem:

Dicisque faciesque quod ipse

Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.

Vno contrà ore laudant omnes. ab vnius antè stolidi voce pendet turba. & vbicunq; lucri spes, eunt hę voces ad gratiam & aures compositę;

Nunc non ê manibus illis,
Nunc non è tumulo, fortunatâque fauilla.
Nascentur violæ!

Quis tantis clamoribus tanquam faustis acclamationibus exsurdato salubria insusurret verba? aut quis audiat monentem? imò quis non rideat. Et hæc fatuitas non est? non extremę hęc dementiæ, signa nouissima sunt? nam quid interest inter hanc insaniam & eam quę à medicis curatur? nisi quòd hæc morbo laborat, illa fatuis opinionibus; altera furoris causas suxit ex ægritudine, altera animi inualitudo est, eo infelicior, quo minùs curationem admittit. nam illam medicam etiam vi admota curamus;

& nolenti nigram bilem subducimus: hęc monitis præceptisque curanda est. Quæ si noster æger non admittit, frustra medicationi insudamus. Maximè cùm totis ostiis admittit laudatores, non exclamet,

Egregium cùm me vicinia dicat,
Non credam?

Et huic sanè frustra ex aduerso inclames,

Nequidquam populo bibulas donaueris aures.
Tecum habita, vt noris quàm sit tibi curta supellex.

Nam cùm ex opibus virtutem videamus metiri, quid speres? ô fatui! quousque illam auro pensamus? an etiam qui pedibus æger est, qui oculorum altero orbatus, quique in solidum: obuenientibus diuitiis lumen recipiet, valebit pedibus? nam si ingenium & sapientiam, cur non magis valetudinem bonam commensuramus opibus? Stulti, si non videmus nullis

nullis externarum rerum accessionibus, animo quidquam posse accedere: nisi vt ab his discat plura appetere, maioreque quàm antè tenebatur, prematur egestate. Ita post Darium & Indos pauperior Alexander est, scrutatur maria ignota, in Oceanum classes mittit nouos orbes piscaturus: vt iam quod naturæ satis est, homini non sit: cùm inuentus sit qui concupisceret aliquid post omnia. Et ille modò vnius anguli nec magni dominus, post Lacedęmona & Athenas, Græciamque seruire iussam, Europæis primùm cladibus, inde orbis totius eruditus, de tantis terrarum finibus per suum nunc rediturus, qui per alienum iuerat orbem, tristis est & ingemiscit super angustis naturę terminis: vt videas maiorem etiam cupiditatem regna accendere, crescereque ex copia desiderium. vis causlam? plus incipit habere posse qui plus habet.

Et confer inter se pauperem & diuitem. intuere vultus. minus videbis sollicitudinis in illius vultu, minus in fronte rugarum, minus altarum cogitationum. hinc sæpiùs & sinceriùs pauper ridet. nullæ enim curæ torquent animum. quòd si quæ incidant, instar nubium leues transeunt. diuitum ferè hilaritas ficta est, grauisque & suppurata tristitia. eoque non rarò grauior, quo frequenter non licet palàm esse miseros: sed inter ærumnas cor exedentes mentiendus vultus est, oreque oculisque ridentibus concoquenda infelicitas est: & cùm damna acceperis, lucra mentienda sunt. vt non immeritò Lyricus pro paupere ceciniſſe videatur,

Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat, non odio obscuro morsúque venenat.

Nec minùs verè diuiti,

Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Sem

Semper in augenda festinat & obruitur re.

Subduc te his opibus anime. quid times? paupertatem? at pauper

Non est, cui rerum suppetit vsus.

Quid hæres? & morosiores anxius voluis cogitationes?

I bone quò virtus tua te vocat, i pede fausto
Grandia laturus meritorum præmia. quid stas?

Non potes? eripe te. vasaque aliquando collige. nimis multū temporis sparsimus, nimis in hoc freto iactamur. moriamur in portū. nemo huic Neptuno securus fidit. perimit dum luditur: nemo huic alto se tutò credidit. vbi à terra te subduxeris, fluctus te manent & tempestas ęqua. quoq; magis prouectus fueris, eo sæuior imminet. Contemne has opes sperantibus meliores quàm assecutis? Si quid enim in illis esset solidi, aliquando implerēt? nunc haurientiū sitim concitant,

nec

nec cupiditati terminus est. Congerantur in te quidquid Claudij Narcissus, Neronis Massa, Domitiani Parthenius possederunt: vltra Salomonis thesauros fortuna te prouehat, & eò te deliciarum & opum perducat, vt terram marmoribus, auro laquearia parietesque abscondas, & non tantùm habere tibi liceat, sed calcare diuitias: accedant statuæ ac picturę, & quicquid ars vlla luxurię laborauit: maiora cupere ab his disces. Immensum enim opinio desiderat, cùm naturæ desideria finita sint. atque hinc vnus

Ista sibi introrsum & sub lingua immurmurat, O, si
Ebullet patrui præclarum funus, & ô, si
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro Hercule!

nec minùs alter,

O, si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum?

O, si

O, si vrnam argenti fors quis mihi monstret?

Addam ego. Verùm quis scit an non hic dies in medio diuitum harum cogitationum vltimus sit? sanè vt non sit, propè ab vltimo est, vt benè Lyricus,

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

& eleganter in re nostra alibi.

Quid vici prosunt, aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adiecti Lucani, si metit orcus
Grandia cum paruis, non exorabilis auro?

Et nos interim vetera nouis cumulamus, tanquam semper victuri. Permitterem, si meliorem diuitiæ facerent: faciunt deteriorem, cùm explicatam secum omnium scelerum materiam trahant. Benè Phocion, roganti quid sibi soli auri missset talenta centum: cùm Alexander reddidisset, vnum se illum inter Athenienses bonum virum iudicasse:

dicasse; respondisse narratur, Permitte me in posterum bonum virum esse; reddiditque talenta. bene Diogenes, In opulenta domo locum virtuti deesse. bene Socrates, Aureum diues mancipium est. &, Habentur à diuitiis diuites, non habent. vt enim febres hominem, sic diuitiæ tenent.

Quòd si propiùs etiam aurum intueamur, quid illo fœdius, quamdiu mersum & inuolutum cœno suo latet? quid obscurius, quando per longissimorum cuniculorum tenebras educitur? quid dum à face sua separatur, informius? opifices intueamur, quorum manibus steriles hę terræ glebæ perpurgantur, videbis quanta fuligine oblinantur. iam terra ipsa quanta cura aurum omne abscondit? nos illud in lucem efferimus, nos periculorum tam multiplicium caussas & instrumenta, deiecto terrarũ pondere, eruimus; nec erubescimus sum-

summa habere, quæ fuerunt terrarum infima.

Quòd si in gloriam, iturámque in posteros, adeoque æternaturam famam oculos conieceris, maior à contemptis quàm cumulatis opibus gloria venit. Non omne potentissimorum quorumcunq; argentum aurumque millies conflatum est? Tuberonis interim, Curij, Fabricij fictilia omnibus sæculis vivent. Iam quotusquisque non præferat Heliogabalis Scipionem, Regulum, Menenium, quibus populus Romanus dotem, colonum, funeraria dedit? Et quid refert quantum habeas, modò naturam paucis explendam dimittas pacatam.

Vel dic, quid referat intra
Naturæ fines viventi, iugera centum, an
Mille arent. at suaue est ex magno tollere aceruo.
Dum ex paruo nobis tantumdem haurire relinquas.

Cur

Cur tua plus laudes, cumeris granaria nostris?
Vt tibi si sit opus liquidi non amplius vrna
Vel cyatho: & dicas, Magno de flumine mallem,
Quàm ex hoc fonticulo tantundem sumere.

Decinit eleganter & verè, nec minùs acutè,

Millia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hoc capiet venter plus quàm meus.

Neque interim vniuersas opes tollo. sed cum Poëta

Mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam.
In quantum sitis atque fames & frigora poscunt,
Quantum, Epicure, tibi parui suffecit in hortis,
Quantum Socratici ceperunt ante penates.
Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicit.

Ne

Nec Croesi fortuna vnquam, nec
Persica regna
Sufficient animo, nec diuitiæ
Narcissi.

Tacerem, si has sęculi opes non sequerẽtur pœnitenda. At illæ sunt propter quas ignibus plurimùm addicimur nunquam morituris, propter quas sudamus, noctes insomnes ducims, vitam erogamus. illę sunt propter quas stabimus tremuli, conscientia pulsante, dęmone minitante, Angelo accusante, sociis detestantibus, iudice damnante. Quò mihi tunc argenti auriąue talenta in sęcula sepositа? abierunt. Quid additi nemoribus colles, propugnacula fluminibus, vineta pascuis? fuerunt. Quid palatia palatiis inędificata? quid marmoribus superstantia marmora? transierunt. quid hortorum fontiumque ludi? quid amicorum & famulorum exercitus? perierunt. Et non quidquid hic illustrę, magnum, vanum, in quo prima quęque

que ingenia luserunt ad miracu-
lum, fuit, cùm essent? Quare tu co-
gita præter animum nihil hic esse
magnum. Cui magno nihil ma-
gnum est extra conditorem suum
Deum. hunc imitare, sequere. an
fòrs pudeat Deum sequi? intuere,
quanto hic auro, gemmis, purpura
circumfulserit, quanta nemora,
hortos, agros, fontes, flumina, ma-
ria numerauerit, quàm laxa lata-
que terrarum spatia occupauerit,
quot horrea cellasque impleuerit,
quantum auri argentique conua-
sauerit, quantum gemmarum pi-
scatu ceperit, quantum prouincia-
rum, regnorum, opum possederit.
Sin spreuisse illa & tantum-non
pedibus calcasse, ac paupertatem
delegisse videris; quid hæres in de-
lectu? melius esse debuit quod
delegit Deus, qui errare, qui falli
in delectu non potest; homo po-
test, & plurimùm solet. deteriora
ergo Deus non delegit. humani
ingenij delectus hic est, qui rerum

igno-

ignoratione labi solet. ignoratio in Deo nulla est. meliora proinde elegit Deus, tutiora, certiora, minusque pœnitenda. imitare. Deus delectus huius dux & comes est. Quid dubitas Deum sequi? errare non potes. opulentis, auroq; gemmisque suis grauidis vestigiis insistis? errare potes, & errore errare æterno. in diuinis semitis tãto ductore stratis, tanto prælibatis, nullus error ludere potest. Quid hæres? certa præpone dubiis. nam & incertorum in hoc delectu ductuque ingens periculum, nec reparanda damna sunt; maximè vbi æternitas in medio est, vbi de pereñitate delectus est. quid times? non delegit has arentes æstuq; geluq; torridas vias Deus sólus tenellæ virgines etiam ante ingressum alterius ætatis, pueriq;, ingentibus easdẽ animis ingressi, à diuitiarum contemptu iter sibi strauerũt ad cœlorum prima, ad famam in omnem æternitatem ituram,

Sin

Sin obdurare pergis, & graue est tibi vel lento sequi gradu, tantis passibus ausuque ad summa properantes: audi saltem monentem Senecam densa etiamtum gentilitia errorum nube tectum, & ad Deum te ducentem,

Aude, hospes, contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Deo.

Nemo alius est Deo dignus quàm qui opes contempsit. Potuit aliquid fortius è Christiana penu? aut potentius emitti iaculum è Christiana pharetra? potuit ad Euangelicorum consiliorum adyta propiùs accedere? Indigni ergo Deo Seneca iudice qui opibus inuigilant parandis, nulla copia possessorem suum saturantibus, qui opibus incubant seruandis, qui prudentiam virtutesque reliquas metiuntur auro, qui felicitatem voluptatemque diuitiis æstimant: cùm solos Deo dignos diuitiarum contemptores statuat Seneca. pergit deinde ami-

cum

cùm monere: *Subduc ceruicem iugo. semel illam incidi, quàm semper premi satius est. Si te ad priuata retuleris, minora erunt omnia, sed assatim implebunt. ac nunc plurimæ vndiq; ingesta non satiant. vtrùm autem mauis ex inopia saturitatem, an ex copia famem?* Ita fit. plurimos dabo in paupertate saturos, nec vltrà desiderantes: raros aut nullos reperies in opibus. audi eundem. *Ille ingentis animi est, qui diuitias circumfusas sibi, multum diuque miratus quòd ad se venerint, ridet, suásque audit magis quàm sentit. multum enim, non corrumpi diuitiarum contubernio. magnus ille est quii n diuitiis pauper est; sed securior qui caret diuitiis.* Hanc securitatem plerique abitrantur à solo Euangelio diuitiarum contemptui concessam; & eandem à Philosophi mente videmus. adiungamus alterum: *Is maximè diuitiis fruitur, qui minimè diuitiis eget: qui eget, timet proillis. Nemo autem sollicito bono fruitur.*

Adamus Stoico Epicurum, quo minùs pudeat discere & imitari, pudeatque non sequi voluptatis magistrum in diuitiarum area, voluptatis arena. *Si vis diuitem facere non pecuniæ adiiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est.* Discamus hic magistris, quàm iucundum sit, nihil poscere; quàm magnificum, plenum esse, nec ex fortuna pendere: sed se sibi fortunam suam statuere. quãto enim glorioſius est à se petere quod satis sit, quam a fortuna; tanto vilius dubia illius exspectare & fortuita dona. nam vt quàm largissimè infuderit, non hic fors vltimus dies erit? & vt non sit, propè tamen ab vltimo. Pergit Epicurus. *Multis parasse diuitias non finis miseriarum, sed mutatio fuit.* Vt enim nihil differt, ægrum in ligneo, an in eburneo, & aureo colloces lecto; quocunque eum illum transtuleris, morbum suum secum trahit; ita nihil interest, [illegible] gerimus in hoc an in illo opu-

augme

augmento constituatur. Malum suum ipsum sequetur: à quo illum diuitiarum aut accessio aut appetentia non liberabit; liberabit, si illas contempserit, si calcare didicerit. Magnam enim talis morbi partem sustulerit. Ferè namque ægritudinum causa opes sunt, à quibus ingentia manant animi vulnera, & quæ non extremam cutem, sed præcordia feriunt & depascuntur intima. Ex his

Liuor tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem.

Ex his sunt qui

Sollicitant remis freta cæca, ruuntque
In ferrum: penetrant aulas & limina Regum.
Hic petit excidiis vrbem miserosque penates,
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro:
Condit opes alius, defossoque incubat auro,

Exilioque domos & dulcia limina mutat,
Atque alio patriam quærit sub sole iacentem.

Intuere deinde vultus talium semper attonitos, inter spem metumque varios, inter sollicitas cupiditates & amittendi timore dubios. Quantò certiùs securiusque viuunt, quos nulla auri aut parandi auiditas, aut amittendi metus vrget? quàm placidos dies ducunt, quàm pacatas noctes? & intuere vultus eorum, qui securitatem mentisque tranquillitatem ex valido opum contemptu natam, non ab Epicuro aut Stoico, sed ab Euangelio didicerunt. Vide, quàm lætum supercilio, quàm exporrecta fronte, quàm ridentibus genis, non dicam abeuntes opes dimiserint, sed in sinum prouolantes, & importunè se ingerentes repulerint: positis etiam se exuentes, quò expeditiores forent ad destinatam æternitatis metam: ad quam nemo ac-

rum

rum, gemmas, aut opes tulit. *Sicut enim egressus est* diues *nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas, quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quòd laborauerit in ventum?* Bene in hanc rem Poëta: Ecclesiastes. cap. 5.

Sed cuius votis modò non sufficerat aurum,
Quod Tagus & rutila voluit Pactolus arena,
Frigida sufficiet velantes inguina panni,

vbi mors accesserit, & nunquam saturando iaculo diuitem suum confixerit. nam quid aliud in potentissimo quoq; speres quàm tenuem pannum, audeo, & vilem, cadaueri integendo, terræque, ê qua & in quam nati sumus, committendo? Cur igitur superuacuis oneramur? non promptiores sumus onere discusso? aut sub ingeniti sarcina gementibus leuius iter

aut fors aliquando finis & termin
cupiditati est? bene Stoicus noste
*Qualis series caussarũ ex quibus na
scitur fatũ, talis est cupiditatũ, alte
ra ex fine alterius nascitur.* Seca,
victoriã cogitas; siste si pacem, si sa-
2. Tim. 6 lutem amas. monet nos Gentium
Doctor: *Qui volunt diuites fieri, in
cidunt in tentationẽ & in laqueũ dia
boli, & desideria multa inutilia & no
civa, quæ mergũt homines in interitũ
& perditionem. Radix enim omnium*
Iacob. 5. *malorũ est cupiditas.* Fortiùs etiam
intonat Iacobus: *Agite nunc diui
tes, plorate vlulantes in miseriis ve
stris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ
vestræ putrefactæ sunt: & vestimen
ta vestra à tineis comesta sunt. Au
rum & argentum vestrum æruginau
it: & ærugo eorum in testimonium
vobis erit, & manducabit carnes ve
stras sicut ignis. Thesaurizastis vo
bis iram in nouissimis diebus.* Eg
hęc si dicerem, quantis in me ani
mis exsurgerent diuites, & fœcu
huius potentes? Apostoli verb
sunt. Mentiri non didicit, faller

nescit. Discute proinde seruis indagator moniti huis verba. Quid si accesserit Dominus non iam interminator, sed sponsor? *Nemo est qui reliquerit domum, aut agros propter me, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam.* Etiam præmia Christiano, & centenarium fœnus, centenarias vsuras, & nullo fine terminandas, beataque æternitate concludendas videmus; & inhiamus auro? nec calcamus opes antequam ab iisdem proteramur? Audet sine Euangelio, sine interminatione sequuturæ mortis, sine metu ignis æterni, sine sponsione remunerationis in omne æuum perennaturæ, Epicurus è voluptuaria cathedra, Seneca è Stoica disciplina opes contemnere, & Christianus post illa diuitiis incumbet? ætatisque partem bonam, non & maximam, impendet illi? illi vota, illi fors etiam cadent lacrymæ, & altè ducta suspiria

insomnes dabunt noctes? nimirum

Ploratur lacrymis amissa pecunia veris;

At Deo virtuteq; sceleribus amissa, vix etiamdum

Vexamus oculos humore coacto.

Et ridet Epicurus, ridet Stoicus, & indignos iudicant Deo diuitiarum amatores. & Christianus, qui philosophos tam altè sine præmio cinctos, tam Christianè sine futurorum spe aut metu palliatos videt, industriam suam omnem, ingenium omne erogabit auro? non & anteponet Deo suo, vt iam aurum illi Deus? nam quis non de prærogatiua censeat illi cui plus vigilatur, plus laboratur, cui & profusior profluit sudor, & sollicitudines eunt, spesque metusque ampliores? cui dierum pars maxima conceditur, noctiū maxima? non, cui plus vltronei obsequij, plus etiam venerationis damus? cuique plus spontanei largimur laboris,

plus

plus etiam amoris? obsequia namque laboresque sponte impensi, venerationis amorisque certissima testatio sunt. Qui ergo validiùs parandis incumbit opibus, auroque corradendo quàm Deo, nõ ille tibi auro postponit Deum? nam quem quisque censeat serui dominum? non cui plus ille sudat, alget, æstuat? cui plus operæ redit in orbem? cui famulatur proniùs certiusque? eadem de auro Deoq; cogita. Vide deinde quàm indignum, aurum præferri Deo, terræ aliquam metallicam egeriem conditori factorique suo Deo. Et talem quis dignum arbitrabitur Deo, aut sponsionibus illius æternis, cui omnis de opibus currit labor: cui nullus, aut sanè nõ nisi postremus, Deo manat sudor? è signo rem metire, è militari tessera militem. ita olim hederatum esse, Libero Patri litasse; populum aut oleastrũ aut apium capite prætulisse, Herculi se sacrasse; spicis coronatum,

lidi se dicasse fuit. Nec vllam tunc gratiam floris, nullam lętitiam frondis, nullum aut cespitem, aut palmitem non alicui capiti inuenies consecratum. Ita singula propè, facta fuerunt signa sacrationis alicuius dicationis.

Post Euangelium verò vulgatum, nullum veræ virtutis & cęlestis semitæ indicium certius, quàm opes contempsisse, non habitas nunquã ambiuisse, concessas spreuisse, vltrò oblatas neglexisse, denique totum se illis Christi exemplo exuisse; qui se cœlorum opibus exuerat, vt nos, post diuitiarum illucæscæculi huius contemptum, illis, meliore iam sæculo, felici demutatione indueret. Quę si ductorem monitoremque pigeat in illarum contemptu sequi, quid reliquum erit nisi vt excludamur cælestium possessione spretarum opum præmio? nam quid sperem à remuneratore Deo, si contemnendæ recusem illo duce in salutem,

quod

quod & prior ille delegit in exemplum, delegit in sequelam; & Philosophi etiã affectauerunt siue pro gloria in famę & prudentię ostentationem, siue pro commoditate in quietem, siue pro solidæ voluptatis fruitione in documentum. Et sanè quid responsuri sumus in die Domini magno, si tantum nos pigeat erogare pro vero & æterno, quantum illos non pœnituit pro temporario? aut non erubescat Christianus, si ab Epicuro & Stoico in diuitiarum vocetur contemptũ tanquam ex æquo, Christo in primis præeunte, ducente, & de æterna præmiatione spondente? magis etiam illo iudice, cuius iudiciũ in suos non in compede aut pileo vertitur, sed in ęternitate pœnę aut salutis. * ius seueritati declinádæ, aut liberalitati consequendæ, quid magnum aut asperum, quod non lubentes hilaresq; amplectamur? maximè illo de conditionum in se expertarũ, calcatorumq; vestigiorũ

similitudine in contemptum diuitiarum prouocante, sub certissimis sponsionibus retributionis æternæ?

CAPVT IV.

HONORES. *Veros sectari hic assuesces, cùm intutam sæculi dignitatum videris possessionem, infidas sponsiones, infames exitus, & sanguine plurimùm nobilitatos. Ita facilis ex alto lapsus, certior in plano statio est. Et celsa cùm ruinam ferè minentur, tum rarior ex humili casus est. è quo, siccus oculis, quisquis stetit, insanos per prærupta reptantiũ risit conatus præcipitio proximos, & infelici plurimùm fine funestandos. Ille felix cuius omnis sudor cælo fluxit, æterna dignus gloria: solasque cæleſtes circumspexit dignitates, quibus natus; contempsit reliquas; risitque inanes cogitationes magna in perituris sperantium, cùm possent satiari æternis.*

DE-

DEscendamus ad Principum aulas, ad honorum & dignitatum fastigia, ad illa sæculi prima & maxima. O vanitas! quousque ludis in humanis? ex ingenti ambientium turba, quanti fruuntur optatis, votaque referunt saturata rebus? non vnus aut alter è millibus? quibus æmulationum & odiorum fluminibus natent reliqui, quis ignorat? & mentimur interim beneuolentiam, cùm sub amici pallio latent hostes, sub congratulantium exercitu inuidentię agmina, in ridente vultu liuentia corda, in applausu & laude Medæa vota. quàm enim magnus admirantium & plaudentium, tam magnus inuidentium populus est. Iam in illo ipso dignitatis fastigio quanti metus? quàm lubrica statio? quàm semper pendula & prœcipitio proxima, & intuta omnia? plerumque enim excelsis adiacēt abrupta, tutius per plana iter est Iam quanti ibi insidiantium acerui, & oppu-

gnantium cunei? cuniculis illi? aperto hi marte pulsant hos colles. ac vix quenquam reperias qui non augeat metum. ita tu tiſsima etiam ſuſpecta: non amicis, non ſeruis, ac ne coniugi quidem fides. Intuere dubios oculos & ſemper pauidos. Iam Principis vultum quanta ſollicitudine videas obſeruari, ne quid offendat, ne quid acriùs feriat, ne geſtus incompoſitus, ne vox, vultus, oculi, ora minùs ad aſſentationem parata, ne quid delatum, ne quid acceptum ſiniſtriùs, ne qua ſuſpicio ingeſta aut nata, æquum iniquùmve Princeps poſtulat; quid agas? parúne aſſenſu rapieris in vtrumque? at Deus videt Principe maior. audes iniquæ reſiſtere poſtulationi? minę & præcipitium in manu ſunt. nec ſatis eſt Principi obſequi, etiam domeſticis Illius pari propè ſtudio obſequendum. Hic atria, hic oſtia, hic obſeruanda reliqua, ne quid offendas, ne vultu, ne verbo lædas, iniu-

iniuriam accepisti? gratię agendę, & beneficium agnoscendum in contumelia est. nec quisquam è famulatu tam vilis, apud quem non decrescas pedes duos, cùm genua amplecteris, non & crura aulici lenonis, aut extremam vestem palatinę meretriculę. liceat mihi cum Lyrico:

Quid das vt Cossum aliquando salutes,
Vt te respiciat cluso Veiëte labello?

Creuitq; nunc eò assentationis studium, vt si quis è primoribus, à quorum nostrę pendent, dicat

Aethiopem cycnum, paruam extortamque puellam
Europem; canibus pigris scabiéque vetusta
Lauibus, & siccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit pardi;

Magno applaudamus assensu. Indigna viro. Atque interim consulamus hos ipsos magnos, & intueamur eos propiùs, fides erit oculis

oculis & ipsorum adeò testimoniis. vide illos in inuidioso suo fastigio trementes & attonitos, longeque alia quàm alij de se opinione. Nam quæ aliis excelsa, ipsis prærupta sunt. quare exanimantur & trepidant, quoties despexerint ad illud magnitudinis suę præceps. cogitant enim varios casus, & in sublimi maximè lubricos. tunc desiderata primi formidant, & quę illos graues aliis reddidit, grauior ipsis felicitas incumbit. tunc pingue otium & oppidi laudant rura sui, & fugam à rebus adhuc stantibus quærunt. tunc videas philosophantes metu, ægrę fortunę sana cõsilia. nam quasi ista pugnent bona, fortuna & mens bona, ita meliùs in malis sapimus, secunda rectùm auferunt. hinc illa monentis è præcipitio verba,

Summum ad gradum cùm claritatis veneris,
Consistes ægrè, & citiùs quàm ascendas, decides.

Cecidi

Cecidi ego, cadet qui sequitur.

Humilia proinde sequere. minus enim habet virium lapsus flatusque ex humili.

Minus in paruis fortuna furit,
Leuiusque ferit leuiora Deus.

Sollicitudo etiam non diurnam modò, sed & nocturnam purpuram vexat, & inter somni delicias, cùm corpus sopore elisum, blanda quietis necessitate fruitur, acerrimos excitat stimulos, vt quem natura tanquam quietis portum dedit, lasso leuamen, illum purpura procul à litore in altū excutiat mare naufragiis infame. at verò mollem somnum, & sine suspiriis noctes in humili videmus; cum purpura omnem tectorum suorum paueat sonum. hinc inter aulæa auro fatigata, inter inuerecundas picturas libidinum illices, inter cælata laquearia. siquid increpuit, hæret attonita: vt iam magna pars metus tecta sint; & ab ipsa potentia, quę tranquillitatem spondebat, timor

& for-

& formido naſcantur. ita à quo ſalus ſperanda, naſcuntur damna dictum verè,

Hi ſunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent.

Et illud non minùs verè.

O ſæuæ nimiùm graueſque Parcæ!
O numquam data feſta longa! ſummis
Cur plus ardua caſibus petatis?
Cur ſæua vice magna non ſeneſcunt?
Alia ex aliis cura fatigat,
Vexatque animos noua tempeſtas.

Quantum curarum minus plebeia dat veſtis? quanto molliores ſomnos tenuis torus, adeoque dura nudaque largitur tellus, aut denſa rupis aut leuis arboris vmbra, pellucidique fontes, riuique non coacto itinere obſolefacti, ſed ſponte ſua currentes, prataque ſine arte formoſa, nemora nullo ſtudio compta, agreſteque inter hæc domicilium, ruſtica & ab aratro poſitum manu? luſit ad hæc Poëta:

Seruat

Seruat placidos obscura quies,
Præbet somnos casa securos.

Vis hæc propiùs cognoscere? videʒ in humili securum, in paupertate ridentem, ludentem. Accesserunt honores, creuere diuitiæ? simul metus & pauor, & pro illorum auctu, incrementa formido sumpsit, iisdem gradibus ad extrema tendens. Vt meritò vatem cecinisse videas,

Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Ita nulla animo ab opibus quies: sed nec securitas nascitur, quam in paupertate tenuiq; fortuna & sorte sua contenta ferè videbis. Hæc enim nec hæredum, nec inuidentium venena nouit. Elegantèr alius.

Dum excelsus steti,
Nunquam pauere destiti, atque ipsum mei
Ferrum timere lateris. ô quantum bonum est Obsta-

Obstare nulli, capere securas dapes!
Humi iacentem scelera non intrant domum,
Tutusque mensa capitur angusta cibus.
Venenum in auro bibitur. expertus loquor.

Et in eandem sententiam Lyricus,

Nulla aconita bibuntur
Fictilibus; tunc illa time, cùm pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Nec minùs verè alius,

Quis magis optato queat esse beatior auo,
Quàm qui mente procul pura, sensuque probando
Non auidas agnouit opes, non tristia bella?
Olli dulcis adest requies & pura voluptas,
Qui pectore puro
Sæpè super tenero prosternit gramine corpus,
Florida cùm tellus gemmanteis picta per herbas Vere

Vere notat dulci distincta coloribus arua.

Verùm vt omnia fluant è voto: quamdiu sudoribus, vigiliis, prece, ac pretio parta manet dignitas illæsa, aut non pulsa sede sua, non concussa, non elisa, nõ loco mota? quàm multis paucorum annorum, quàm multis annua, ac nec tanta dignitas stetit? quàm rari infractam sepulcro intulerunt? exempla nos docent. Galba imperij mense septimo cadit: illud Poëtæ in Pisonem denuntiatum arbitrare,

Vnusque Titan vidit atque vnus dies
Stantem & cadentem.

Otto mense quarto, Vitellius nono, Maximus & Balbinus duodecimo, Gordianus senior decimo octauo, Quintillus à senatu Augustus dictus, decimoseptimo imperij die, Annius Tacitus mense sexto, Annius Florianus mense secundo, Basiliscus vigesimo, Siluanus octauo & vigesimo imperij die.

Maxi-

Maximus necdum expleto menſe ſecũdo, Michael Calaphates menſe quinto, Anaſtaſius Arthemius menſe decimo quinto, Theodoſius tertius anno non integrò expleto, & ferro omnes ſuo, ſuorum, aut hoſtili cadunt. decurramus ad initia Romani Imperij. Non

Fraterno primùm maduerunt ſanguine muri?

Non qui nomen vrbi dederat, decerptus à Senatu in comitiis eſt, vt in deorum numerum referri poſſet? non Eteoclis & Polynicis

Stat conſanguineum campo ſcelus vnius ingens
Bellum vteri?

Et non magnum inuictumque Tydeum validiſsimi exercitus ducem,

Effracti perfuſum tabe cerebri

Menalippi ſol

Aſpicit, & viuo ſcelerantem ſanguine fauces?

quid memorem infauſto hiatu ſuo nobilem Amphiaraum, qui

Non arma manu, non frena remittit,
Sicut erat, rectos defert ad tartara currus?

Quid numinis cęlitumq; contemptorem Capaneum? cui

Paullùm si tardiùs artus
Cessissent, poterat fulmen meruisse secundum.

Cuius etiam illæ barbaræ & sine deo voces,

Virtus mihi numen & ensis
Quem teneo. Et
Primos in orbe Deos fecit timor.

Memento Reguli toties victoris, post vnam infelicẽ pugnam, quocunque fatigatum corpus inclinat, vulneri incumbit, nisi in perpetuam vigiliam suspensa stent lumina. Memento Coriolani, Camilli, Manlij. Numanticus etiam seruulorum manibus gutture obstructo perit. Africanus post assertam libertati patriam, cùm plus quàm illi expedire videretur, creuisset, vt libertatis

causa

cauſſa ſic argumentum fuit, & inſcribit monumento: Ingrata patria ne oſſa quidē mea habes. Iam Marium videmus poſt Iugurtham & Africæ deſerta, poſt Cimbros & Teutones, Minturnenſium paludibus tectum. Ciceronis ſanguine cliens ereptus maduit.

Quid fauor, aut cœtus, pleni quid honoribus anni
Profuerunt? ſacris exacta quid artibus ætas?
Abſtulit vna dies æui decus, illa-que luctu
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ.
Ille ſenatus
Vindex, ille fori, legum, ritúſque togæque,
Publica vox ciuis æternùm obmutuit armis.
Informes vultus, ſparſámque cruore nefando
Canitiem, ſacráſque manus, operúmque miniſtras

Tanti-

Tantorum, pedibus ciuis proiecta superbis
Proculcauit ouans.

Non Nasica & Lentulus extra patriam iussi mori? De Pompeij capite pupillus & spado tulere sententiam, de crasso crudelis & insolens Parthus. C. Cæsar iussit Lepidum Decio tribuno præbere cervicem, ipse Chæreæ præstitit. Vulnera quis in Cæsare ignorat viginti tria, in Caligula triginta, in Domitiano septem, in Vitellio innumera? quis in Galba suffixum hastæ caput? quis pauidum in Nerone ferrum? quis in Tiberio & Claudio venena? quis quinquaginta minimùm Romanos Imperatores alieni omnes aut sui ferri, aut veneni victimas? quos natura in summis imperiis constituisse videtur, vt ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent. Quid deinde sperandum, quid timendum sceptris? quidquid fieri potuit, futurum cogita. è Seiano, qua die

in senatum deductus fuerat, nihil superfuit quod carnifex traheret.

Et vt Romam egrediar, non Crœsus rogum suum vidit, Polycrates Samius crucem, Agis laqueum, Nicias lapides, venena Phocion, vincula Miltiades? non Ptolomæum Africę Regem, Armeniæ Mithridatem intra Caianas custodias, Iugurthamque eodem quo trepidauerat anno in vinculis Roma spectauit? quid ferrea inclusum & circumlatum cauea memorem Ottomannicum Baiazetem? nec transeo hic indomitum Alpibus Hannibalem post tantum-non subactum in Roma orbem terrarum. Non precario vitam tolerat veneno finit, vt metum adimeret quorum antè mœnibus victor in federat? non Thesea scopulis in sepultum, non post ignes barbarorum iaculis confixum exulem Ascibiadem, non Pausaniam inedia vitam finientem, non ad vi quondam hostis genua Themiste

clem, non Solonem, Aristidem, Lycurgum in exilio vidimus? non ingeniti damnatos pecunia Periclem & Timotheum Athenienses, illum quinquaginta, hunc talentis etiam centum? non truncatos naribus Leontium & Iustinianum minorem; manibusque pedibusque Thomam à Michaele Traulo; dextramq; Leonis præcisam? quis Alexandri Parmenionem, Cleandrum Commodi, Ablauium Constantini, Eutropium Arcadij, Stiliconem Honorij, Theodosij Flauium, Frederici secundi Vineam, Brocam Philippi, Cabreram Petri Aragonis, Caraciolum Ioannæ Neapolitanæ, fortunæ pilas ludosque nesciat? quis Iulianum ignorat in cœlesti iaculo, quis in ignibus Valentem? quis tota anima defossum Zenonem, quis in Basilisco ferrum, fulmen in Anastasio, exilium in Heracleone? quis Leonem animam via non sua eiicientem? quis theatrum in Mauritio,

Bulgarorum iacula in Nicephoro quis in occidente in Lucio caueam ferream, venenum in Conrado, Gallicum in Manfredo ferrũ, carnificem in vltimo Sueuici sanguinis? Si pergam, quantos darem in Wandalis? Gaudericum, Henſericum, Hildirem, Gilimerem; in Viſigothis, Attulphum, Gigericum, Theudoridum, Thuriſmundum, Theudoricum, Alaricum, Geſelicum, Amalaricum. quantos in Oſtrogothis? Theodoricum, Amalaſuentham, Theodeharum, Vitigem. quantos in Longobardis Alboinum, Roſimundum, Clephum, Autharim, Rodoaldum, Gundebertum; omnes morte non ſua extinctos. vt verè liceat dicere

Ima vt permutat breuis hora ſummis?

Sic eadem ſumma permutat imis idque infelici ferè & cruento exitu, in ſceptrorum & dignitatum & inanium cogitationum noſtrarum ludibrium. Regna denique ſi per

curra

turras orbis singula, raros in plerisque sicca perille Reges morte reperies. Ita plurimùm sanguine sua regna purpurarunt. Et sanè regnorum dignitatum q; mare magnum est alternis æstibus reciprocum & infame, ac plusquam decumanis fluctibus horridum, assidua iactatione sæuum. quod quicunque navigant, nunquam, nusquam stabili consistunt loco, pendent & fluctuantur, alterique alteri illiduntur, naufragio omnes proximi. ita quicunque innatant, non eunt, sed alieno remige feruntur; è quibus paucos mollior vnda vexit aut fida ratis, alios vehementior rapuit, alios cursu languente destituit plurimos oppressit. Audiamus è magnis vnum,

Quicunque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula,
Animumque rebus credulum lætis dedit;
Me videat & te Troia: non vnquam tulit

Documenta fors maiora, quàm
fragili loco
Starent superbi.
Magno momento obrui
Vincendo didicit; Troia non timi-
dos facit.

Audiamus alterum:

Ego esse quidquam sceptra nisi
vano putem
Fulgore tectum nomen?
Casus hæc rapiet brevis.

Ac licet ex his magnis, non pauci multorum ore & calamo vtraque facundia decantentur: si tamen propiùs illos intueamur, plerique omnes cùm ante se agerent agmina, & hostium tergis graues insisterent, perfusique suorum inimicorumque cæde cadaueribus flumina sisterent, ingentibus in victoriis triumphisque suis victi cupiditatibus sunt. Videamus Alexandrum. Cùm orbe toto arma circumfert, nec finem aliquando nouit lassa crudelitas; non immanium ferarum more plus quàm

exigit

exigit fames, mordet? cùm ipsi naturæ vim parat, aliosque suspiratorbes, an ille ire vult? non potest stare. non aliter quàm in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis est iacuisse. Et Pompeium quid externa, quid domestica inire bella suasit, si non insanus amor magnitudinis falsę? quid illum in Africam, quid in Armeniam traxit, si non infinita crescendi cupido, cùm sibi vni parum magnus videretur? Quid Marium per deserta coëgit? ille exercitum, illum ambitio ducebat. Cecinit hæc antè Lyricus,

Quid Crassum, quid Pompeios euertit & illum
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus.

Qui cùm ignem inferrent vrbibus & regnis, cùm per ætates tuta prostrernerent, concutiebantur turbinum more, qui rapta quidem

conuoluunt, sed ipsi antè voluuntur, eoque maiore impetu, quo nullo tenentur freno. In quibus quid aliud reperias quàm deliram quandã dominandi cupiditatem quàm omnium gentium digito & calamo monstrari? Nam si testis & spectator absit, ambitio subsidit, & vitiorum pars magna: quorum monstrari & conspici fructus est. Quis enim quam nemo videat induat purpuram? quis sub alicuius rusticæ arboris proiectus vmbra luxuriæ suæ pompam solus explicuit? nemo oculis suis fastu turget, ac vix paucorum & familiarium; sed apparatũ ambitionis reliquorumq; vitiorum pro numero spectantis turbæ expandit. itaque irritamentum est omnium in quæ insanimus, admirator & conscius & sperata laudatio. Ne concupiscas, efficies, si, ne ostendas effeceris. ita ambitio omnis scenam desiderat.

Quòd si tamen pergis, & spec-

tato

ctator mouet, moresq; ad alienos lubet oculos componere, & pro numero ac spectantium dignitate vitam instruere, intuere spectantem Deum, Patrem, Regem, Iudicem. Non magnum theatrum habes virtuti ostentandæ, robori explicando? vide nulla non hora minitantem, euocantem, & finem facientem honoribus & vitę, ac quasi vna falce fructus, ramos, truncum, radices præcidentem, ac tanquam vno caustico succū omnem, & quidquid speratum emedullantem. Et quò mihi in illa hora, cùm imperio magni Dei fatale mors telum admouerit, purpura & honores? quid deductum nomen à trabeis, quid eboratæ curules, aut purpurissati fasti? quid à magno veniisse Iulo, ab Agamemnone aut Cyro? quid si falces præferam, & à Valerio & Bruto descendam in Magnum Pompeium & Cæsarem, in Catones, Camillos, Scipiones, Fabios? ab Hectore in Troiam, à

Semiramide in Nilum, à Pericle aut Miltiade Athenas, à Pelopida & Epaminonda in Thebanos, à Leonida & Pausania in Lacedæmonas, à Timoleonte in Corinthios, à Machabæis Ierosolymam, à Tamberlano, in Ægyptum & Mogoris regnum, ab Alexandro in Macedonas, ab Hannibale in Africam, à Mithridate in Asiam? verbo,

Stemmata quid faciunt, quid prodest ... longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Maiorum?

De equis cecinit Satyricus:

Nobilis hic quocunque venit de gramine, cuius
Clara fuga ante alios, & primus in æquore puluis.

Idem de homine cogita, in illa maximè hora cùm mors iugulo insederit, cùm frigus præcordia obsederit, cùm in vltimo spiritu vita tamiam migratura steterit, ductu-

ráne illa secum est Marcellos, Metellos, Hercules, Achilles, Iasones? an exercitus & arma tutelaria? sceptráne & diademata & quidquid imperium sapit? Antiochos & Xerxes cogita, Darios & Ottomannos, Cyros, Assueros & Nabuchodonosores, & quodcunque Iaponia, China, Tartaria, Moscouia, Persia, Æthiopia, Oriente denique ac Occidente toto frendet magnum.

Quo ruimus? & cogitationes iaculamur non profuturas? tam lenti consequimur, tam breues possidemus, tam dubij tenemus, tam certi perdimus. & à momento pendent hęc magna, momento cadunt. momento nulla, aut cinis & puluis & terræ lutum. Hic campus vbi Troia fuit, emortuum ibi Sodomæ solum, vastitas ingens & orba regio, & frustra ager est, & vrbes retro, & populi frequentes. hactenus ergo Sodoma & nulla Gomorrha, & cinis omnia;

sed & propinquitas maris iuxtà cum solo mortem bibit. & iam eroſolyma vbi est? vbi Babylon, Ecbatana, Niniue? & non regna integra solo nomine nota? quot Asiæ, quot Achaiæ vrbes vno tremore ceciderunt? quot Syriæ, quot Macedoniæ? quoties in se Paphus corruit? ne vestigia quidem primarum olim vrbium videmus. Ita vbi turba olim suffocata, ingens nunc solitudo est. sed & montium iuga defluxere, & totę desedere regiones. Operta iacent fluctibus quę maria ignorabant, altissimique vertices nauigantium quondam solatia ad humilem prostrati sunt arenam. Si quod mare non diluit, non subduxit terra aut soli ingluuies, detotondit gladius. ita vndique malis stipamur, inuidendis cingimur, ambimur perituris. Vt verè dictum sit, Longam moram dedit malis properantibus qui diē dixit. Horę momentumque temporis euertēdis imperiis sufficere.

Quæ

Quæ domestici is bellis steterant regna, quæ externis, nullo impellente corruerunt. Scythę olim exuberant in Persas, & Scytham iam Persia ignorat; Phœnices in Africam eructarunt, in Italiam Phryges, Cimbri, Teutones, Gothi, Wandali, Longobardi; & nec nomina nunc nota sunt. Chaldæum semen in Ægypto educatur, dehinc cùm inde transducitur Iudęa gens Palæstinæ populus est, qua Iordanis amnis finium arbiter, & Palęstina nunc Iudęum nescit. Quot in vnam Hispaniâ transuolauere gentium examina, & iam vix nominum memoria. Quot passim ingentes populi de populis, vrbes de vrbibus, regna de regnis nata? & iacent nunc cum originibus suis tanquam propagines cum surculis ac semine suo vno igne pasti. Lusit Poëta ad vanas magnorum quasi æternaturas cogitationes.

Crassum Parthus habet, Libyco iacet æquore Magnus,

Tertius ingratam perfudit sanguine Romam,
Et quasi non posset tot tellus ferre sepulcra,
Diuisit cineres. hos gloria reddit honores.

Iam ex illis magnis, quorum procliuius est vitia quàm virtutes reperire, quem existimem felicem? quem magnũ? nihilo magis quàm illos quos sceptro & chlamyde scena vestit, cùm cothurnati incedunt. Simul enim exierunt, excalceantur, & ad staturam suam conditionemq; redeunt. cecinit hoc Poëta:

Grex agit in scena mimum: pater ille vocatur,
Filius hic, nomen diuitis ille tenet.
Mox vbi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.

Idem de illis cogitandum, quos honores in altiore fastigio posuerunt

runt. nemo maior est, licet Apennium calcauerit. & quis prudens statuam basi metitur? pumilio paruus est, licet in Alpibus steterit. & Colossus magnitudinem seruat, licet Oceano consepultus iaceat. & verò semper in edito stat excelsus animus, licet in puteo cum Iosepho & Daniele consepultus iacuerit: nec exsurgit in plantas, nec summis ambulat digitis, eorum more qui mendacio staturam adiuuant: contentus est enim magnitudine sua, cùm eò creuerit, quò manum fortuna nulla porrigit.

Et vis ex vero scire qualis quisque sit? fac quod equum empturus, quod asinum; stratum iubet solui: quod mancipium, vestimenta detrahit, ne qua corporis vestita vitia lateant. ita è montibus ornamenta ipsa suspecta sunt. Si crus, si laudatur brachium aut pectus, videre vis, & nudari etiam optas, ne fallaris. Idem in illis magnis

quos

quos supra turbam lectica suspendit, cogita. Omnium enim istorum personata ac bracteata felicitas est. Contemnes, si spolianeris: discesque, sub ista tenui dignitatum veste quantū mali lateat. Honores ornatumq; reliquaque fortunę mendacia sepone. intus considera, animum intuere: videbis suo an alieno sit magnus. Si sciat sua nihil interesse, pauper an dives viuat, inter amicos an in exilio vitam degat, patriam an peregrinum calcet solum, laudatus an contemptus viuat, anima per os an per iugulum exeat, febris an laqueus fauces elidat, podagra an carnifex pedes excruciet, pleurisis an ensis latera fodiat, ignis an pestis viscera depascatur, angina an ferrum spiritum iugulumq; petat. Si cùm denuntiata fuerint tormenta, venena, vincula, exilia, carnifex, securus audit, & dicit confidenter, Paraui ad hæc animum, & cogitando leuia feci; prę cogitati enim mali

mali mollis ictus venit. Qui si par sibi in omni rerum statu sit, sive secundo cursu vita procedat, sive fluctuetur per aduersa, magnus ille est,

Quem neq; pauperies, neq; mors, neque vincula terrent,
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ:

Maior, si antè mors abstulit animam, quàm vel latum crimen turbauerit, quique eodem vultu securim excipiet & aurum. Et vis scire quid sit magnum? mortem cogita. Illa te humilia iuxtà ac magna docebit. Non potes errare, si in illam horam oculos conieceris. Quod enim cera fornacibus, quod ignibus niues, quod fumus vento, hoc quidquid magnum morte irruente. honor & gloria & laus humana sub mortis telo, quid nisi bullæ concharum ludi? quid nisi nimbi Aquilone pulsi? quid nisi nebulæ sole dispersæ? sceptra & diade-

diademata, tiara & purpura, aurum & gemmæ morte premente, quid nisi arundo fluctu concussa, quid nisi stipula igne decocta? quid nisi vilis verruca terræ? honorum prima, dignitatum summa, gloriarum augustissima, morte minante quid nisi folium perflante Borea? quid nisi vitrum saxis illisum? quid nisi fœnum flammarum pabulum? maiorum nomina, Romulidum genus, aut sanguis regius, quid nisi spuma Oceano nata? quid nisi fungi egeries terræ? quid nisi pluma sparsa per aëra? Et inhęremus his tamen, tanquam semper fruituri, victuri semper: insequimur, tanquam possessuri æternùm: possidemus, tanquam nunquam destituendi. Nec ignorare interim possumus quàm celeri hæc diffugiant pede. & exempla nos docent aliena, domestica, omnis ætui. vt meritò madeamus lacrymis super insana temeritate nostra, dum cæco fatuoq; ruimus impetu

in hęc vana, rebus inania: in his fugacibus, dubiis, fallacibus ætatem perimentes, in his quæ nos plurimùm præcipitant in flammas nullo fletuum oceano restinguendas, nullo diluendas: cùm cadent nil auxiliaturę preces, fluent nihil opitulaturę lacrymę, trahentur non iuuatura suspiria, mittentur non profutura vota: irrito nimirum in omnibus & frustratorio conatu, sera pœnitudine.

Quòd si qua in nobis prudentia, si qua non iniqua rerum ęstimatio; reuocemus ad incudem, res omnes sęculi huius & futuri magnas. mittamus in stateram honores, & quęcunque hic optanda, regna, imperia, orbem denique totum. In alteram non dico quidquid sæculi futuri, sed æui illius infimum. Festucam illa arbitraberis, hęc montem, ipsosque Pyreneos saltus: ita pondere hęc suo excutient quidquid in aduersa parte sæculi huius fuerit, tanquam

folium

folium quod vento rapitur. & cõfer, si audes, opes cum opibus. egestas mera, pauperies ipsa opes sunt nostrę, aurum scoria, gemmę siliquę, regna casæ, imperia stabula, honores sterquilinia calcanda pedibus, si cum cęlestibus in certamen veniant.

Quòd si tempora metiaris: frustra momentanea componis ęternis. Si res ipsas, quid magnum apud hominem esse magnum? nam & ipse apud quem nomen consequutus es, quantus est? fulget tiarâ, diademate, sceptro? quid si eadem nocte arripiant animam illius qui in Euangelio diuitis aut Baltasaris tyranni? quid si tuam? quantus eris? noli te metiri alieno ore aut calamo. fraudis plena mensura hęc est. simul ac perierit cui inniteberis tanquam arundini fluctibus quassatę, vento raptę, nullus eris, magnus fòrs audies, quamdiu famonius ille aspirabit. Spiracula remisit? è gigante pumilio natus es?

Ita luditur in humanis: alternis tanquam fluctibus iactamur, deprimimur, tollimur, mergimur. irrespirabile depressis profundum est. Intuere dein propiùs rerum vices. quàm pauci dignitatem cum morte finierunt? quàm multi ante mortem ab illa destituti? quàm multis ipsa dignitas monumentum fuit? vt vnde sperauerant incrementa, & apud posteros famã, apud præsentes admirationem, apud amicos laudem, inde & decrementa nata, & famę vitia, & inuerecunda conculcatio, ne fide,

Fortuna vitrea est, dum splendet, frangitur.

Quòd si tamen magna & excelsa delectant, quin alterius vitę deligis magna, certa & falli nescia. Potes de facili. & minor in his quàm in illis sudor. Potes apud Deum magnus esse, illius ore laudari, illius manibus decorari: quid humana venaris? potes diademate cingi æterno: quid

seruis

ſeruis perituro? potes purpura vē-
ſtiri perennatura; quid famularis
labanti? potes ſceptro donari cę-
lorum; quid ancillaris terreno? po-
tes auro gemmisque lucere ęter-
nis; quid ambis huius ęui, fòrs cras,
fòrs hodie, fòrs hoc momento ra-
piendis? potes ęternùm audire
magnus; quid magnitudini in-
cumbis hic demetendæ? Aut non
Deus tibi quocunque Regum ac
Imperatorum maior, potentior
eſt? quid humanam aucuparis gra-
tiam, cùm poſsis diuinam? aut à
quo ſperare maiora potes? illius te
famulatui dede. ſi à ſæculo hoc aut
homine potes; illis ſerui. ſin à Deo;
quid in mundi partes tranſis? non
quidquid creatum, ab ipſo fluxit
Deo? à quò igitur certiùs etiam
peritura ſperare quàm ab omnium
cõditore potes? è cuius manu tan-
quam à filo pendent hæc omnia
in nihilum redigenda, in primor-
diale chaos, ſi manum ille vel ad
momentum retraxerit, ſi ſubdo-

xeri

xerit dexteram. Ab hoc igitur cùm & mundi huius & melioris sæculi sperare magna possis; quin duci illi te obstringis iuratus miles, teque totum imperio illius sacras dicasque, à quo sæculi vtriusque magna dependent? illius manibus ac voluntate eroganda, illius nutu & imperio tollenda?

Confer deinde æui vtriusque magna, à spectantium, admirantium, laudantium numero. primus es in vrbe magna? quanti te norunt? primus à diademate? quanti te nesciunt? sceptro es & corona primus? quàm multa millia reges suos ignorant? quàm pauci sciunt, si cum reliquis componamus? Magnus Deo es? cælitibus omnibus magnus es, tot hominum millibus orbe toto euocatis magnus es, tot Angelorum myriadibus. Iã in die Domini magno orbe toto inspectore quantus eris? quantus non eris? neminem magnitudo tua fugiet. Lucebit illa Deo con-

conceſſa ſole clarior, omniumque fulgore ſuo percutiet oculos, laudantium, inuidentium, ſociarum diſſociarumque mentium, cœlo flammisque addictarum. Magnitudini ergo huic inuigila quę te Deo cœloque ſtatuet magnum. reliquam ſęculi huius contemne, adeoque calca pedibus, antequam te illa proterat. Qui prior occupauerit, magnam victoriæ partem retulerit. fortiter occupa, & indignā hanc ſtatue cui ſubmittas ceruices, cœlo & Deo ſoli natas. indignam qua imaginem magni Dei veſtias. proiice hanc ſtolam generi tuo indignam. vir es. maior etiam. Dei imago es. ille te ſibi aſsimilauit. quid indueris momentaneis, & perituris deuenuſtas imaginem æternitati natam? Quid Deo maius, nobilius, pulcrius? quid poſt illum viua illius imagine? hanc inhonorat quicunque aliena exornat magnitudine. nulla cum natiua illius componi poteſt. ſerua qualem

accepi

accepisti. si ornanda ? cælesti ornabis amictu, nec alio. aliorsum si quid te vocat, sperne, vt illi aliquando iunctus cuius imago es, rideas hæc sæculi magna, puerorum crepitaculis minora; bullis, fumo, vento, & vmbræ meritò comparanda. Sed & imaginis huius magnitudinem è prototypi magnitudine metire. interminum hoc est. quin & illius imago portio quædam infiniti decoris & amplitudinis est. Quidquid ergo terris natum, infra hanc est, indignum cui adnectatur.

Erige proinde te anime. & parem te redde cœlo cui factus; maioremque terra, quam tibi in famulam dedit cuius imago es. contemne domina famulam, & indignum crede parêre ancillæ. cuius audaciam potentioribus comprime; Deo nimirum, & cœlorum dignitatibus speratis. Vtrasq; possidere, aut non potes, aut non nisi ingenti periculo potes. Noli tam

carè timenda possidere, quæ te pondere suo deprimant ad ima, deducant cœlo, & ex hærede conditoris tui magni, mancipium te statuant ignis æterni.

CAPVT V.

NOBILITAS. *Quanta cuique insit, virtus breui hoc compendio ostendet. nec alia re alter alterum antecellimus, nec alia veram laudem meremur. nam quid stolidius, quàm eiusdem patris sobolem de generis prærogatiua contendere? Iam si animam cogitas, discis eodem Deo patre natam; si corpus, eiusdem parentis manibus figulatum; si totum hominem, ad imaginem illius factum. Hoc parent pares nascimur, morimur pares, præmiamur pares, si virtute pares sumus. Quare si gloriandum magno hoc patre Deo gloriandum cuius ingens nomen præferimus. Nam quæ intercurrunt nomina*

tanquam de scena rapta; aui praeuique, extra hominem suum sunt, ac nec vmbra quidem magni illius parentis, à quo solo fluit anima, tanquam decidua quædam pars magnæ æternitatis.

EX hac honorum nominumque prærogatiua vanissimæ natæ generis ostentationes, vt omnium vbique ora plena sint maiorum gloria, imaginibus, factis, dictis fortibus, quæ plurimùm nusquam sunt, nusquam fuerunt. & non

Maxima pars hominum morbo iactatur eodem?

Sua laudant omnes, aliena damnant,

Vel quia nil rectum nisi quod placuit sibi, ducunt;

Vel quia æmulo liuore præferri quemquam sibi nolunt. Maiorum si qua, vt fit, mentio inciderit,

Grande aliquid quod pulmo animæ
prælargus anhelet,

Meditatur quisquis est, etiam cerdonum vltimus. si ignoratus illi pater, aspice tamen,

Quanto cum fastu, quanto molimine
circumspectet.

Quem si prehensa suauiter lacerna comiter moneas,

Paullo à turba seductior, audi
O bone, num ignoras .... quem te
Deus esse
Iussit, & humana qua parte locatus es in re?

Nescis, ex qua caula non ante multos annos mater nata

Siliquis & grandi pasta polenta est,
Glandem ructante marito?

Insanire credas, ita in immensum

Turgescit vitrea bilis,

Vt non immeritò pacando homini quæras,

Visne salutari Sicut Seianus?

At ille ingenti fiducia,

Num quid de Dacis audisti?

Etiam de Longobardis, ab vtra
que

que, ait, gente maiores mei. & inspice; nomen conuenit. quod licet ignotum his terris, clarum tamen illis, & è Regum sanguine. benè est. tam felicibus auspiciis,

Iam postibus arma,
Iam chlamydas Regum, iam lutea
gausapa captis
Essedaque expecto.

Miror tantùm, è tanto Regum sanguine superesse neminem, qui clarum cœlis terræque nomen præferat. at ille, Fateor, nulla mihi in his terris

Iam reliqua ex amitis, patruelis
nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deque auia nihilum superest.

Apud Dacos tamen grande etiamnum nomen, & notum Regum fastis. iam credo. etiam Hercule te natum, & succedaneos humeros Atlanti commodasse. nam & nunc è veteri purpuratorum formulâ,

Nanum cuiusdam Atlanta vocamus,

Aethiopem cycnum.

Quin tu potiùs Stephanus, aut
Paullus vel Petrus moribus esto.
Hos ante effigies maiorum pone tuorum.
Nam quis generosum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantùm
Insignis?

Sed tu ingenti maiorum fastu tumes, claroque altoque
Drusorum sanguine, tanquam
Feceris ipse aliquid, propter quæ nobilis esses,
Et te conciperet quæ sanguine fulget Iuli.

Res prome, res nobilé te magnumque statuent: quæ si à virtutis gremio & vbere prognatæ lactatæque fuerint, næ tu magnorum maximus eris. nam vt votis etiam tuis maiora concesserim, finem intuere. Non inter peritura ambulamus? aut hæc te magna nomina sequentur? aut in illo tribunali cui extre-

extremùm sistimur, numerabit Iudex,

An tibi serui
Octo, decem comites, post te an sit sella, togati
Ante pedes?

Dice, magnas arbores diu crescere, vna hora extirpari. & non vna rapiet hora, deuerretque hæc terris magna, tanquam mensali peniculo post secundas mensas analecta? excutietque hæc illustria, vt à vanno rustica manu paleam, degenerem veritatis grano, solaque mendaci inanitate siluescentem, quò purior frumenti massa in horrea Domini reponatur? Et quò mihi hęc nomina rebus inania? non omnes à Regibus seruisque nati si retro sęcula pensemus? aut productius cuiquam nomen supra illos qui Dei figulati manibus,

Compositique luto nullos habuere parentes?

Cùm frigida paruam

Præberet ſpelunca domumq; ignemque laremque;
Et pecus & dominos communi clauderet vmbra.

Aut pudeat te illius ſæculi, huius ſæculi, cùm ab aratro ille veniret, excuteretque grauem puluerem, durasque ablueret manus;

Torum cùm ſterneret vxor
Frondibus & culmo vicinarumque ferarum
Pellibus?

Hæc ſunt illa initia ingentis ambitionis, à frondea domo, à ceſpite & viridi indolato ligno. inde nos regna non capiunt, & iam imperia cogitationibus minora ſunt. ſanè

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.

Et tamen ſeu prima cogitemus initia, ſeu poſtrema & finientia, non pares naſcimur, pares morimur? licet in quibuſdam quod intercurrit purpura fulgeat, gemma ſplendeat, auro luceat, in aliis vix trita

tegatur

tegatur lacerna; momenta tamen nascendi & moriendi æquant omnes, sceptraque ligonibus. intermedia scenæ & theatro similia, vbi exieris personamq; posueris, nulla prærogatiua purpuræ est, nulla tiaræ. Iam omne illud scenicum quàm incertum est? quàm leuis cortina finem statuit? nec exspectat exitum; sed in medio adeoque in limine scenæ speratæ rapimur miseri; nomina daturi, ô si non crudeli æternaturę tragœdię, in ignibus nullo quo ponendis, nullo mitigādis! Et intueamur magnorū retro nominum vanitatē propiùs. Quis nostrum millenarios maiores numeret? quis annorum quingentorum? quanta pars nec trecentesimum, ac ne ducentesimum quidem annum attingit? quod vltra est, quis enumeret? quòd si quos supra hunc numerum consequuti fuerimus, quantos fòrs à securibus & fune, à rota & ignibus, aut ab vltima omnino fæce inter

maiores recenſebimus? ſanè vt quàm longiſsimè genus ducamus, à ligonibus & aratro, à colo & ſarculo omnis origo eſt.

Eadem in rebus reliquis reperies. initia ſcrutare, leuia ſunt. quæ ingenti pòſt auctu creuere. Ita regna omnia à tenuibus nata in eam quam videmus amplitudinem excreuere. Intuere flumina Rhenum, Danubium, Moſam, Padum, Rhodanum, omnesque amnes inclytos. Quid ſunt, ſi vnde effluant æſtimes? fons, aut ignobilis ſcaturigo. tolle radices terræ damnatas, nemora non ſurgent, nec tanti montes aut valles veſtientur. aſpice trabes latiſsimè & altiſsimè fuſas. quantæ res iis comparatæ quas ignobilis radix tenui fibra complectitur? flores recenſe, quàm portentoſo ad oculorum varietatem natu quàm prodiga effuſione hilaritudineq; mentem oblectantes? hic repanda, ibi carminata folia, alibi roſtrata, ſpicata, vmbellata,

lata, crinita, circinata, introrsum extrorsumque in orbem multiplici conuolutione contorta, nec raro quasi ad artis contemptum neglectim expansa, mira colorum venustate, nec minore odorum fragrantia. ad radices deinde & semina oculos deflecte, è quibus tam multiplex varietas ad miraculum ludit: videbis è tenui sordidoque filamento in tantam elegantiam tanquam à matrice exurgere hæc admiranda. Futura deinde contemplare, mausolæa & ossa, & vagum puluerem. an nõ æqua cineri vilitas, seu illum tegat gemma, seu indolatum lignum, seu lambat aurum, seu ventus spargat, seu cingat ebur marmórve Parium, seu lutea crusta tegat? & marmora quidẽ imparia sunt, at illa nulla pars nostri sunt. alieno proinde gloriatur qui lapide gloriatur. quòd si æternare putas quæ marmore clausa, erras. nata quæ sunt, pereunt, & in amica redeũt rudera, in consanguineum

cinerem. Quidquid habet ortum, finem timet;

Ibimus omnes,
Ibimus, immensis vrnam quatit
Aeacus vmbris.

Intuere singula manu aut natura facta. amœnissimos fundos famosę solitudines obliterauerunt,

Et segetes iterum, atque *hæc deserta virebunt.*

Fœcundissimos agros saxa occuparunt, & iterum ager: paludes eliquantur, nec multo imbre natant, totoque elemento consepultę iacent, & maria iam sunt. vbi Regum & Cæsarum sedes, ingens solitudo est. Iues etiam & fames, bella & ciuitatum voragines pro remedio nunc deputanda, & tanquam tonsura insolescentis generis humani; nouaque indies securres, maximam mortalium vim vt silvescentia nemora cędunt. & nō infra nos non vno loco videmus

Vrbes populosque premi? per auitaque toto

Rura abiisse mari?

Non vbi nunc maria, vrbes & regna fuerunt; & vbi olim maria, nunc regna sunt? montes vallibus impositos, vallesque vbi olim formidanda saxa & montes, totaque flumina rupibus siluisque derasis cernimus. Ingeniosè vrbi lupino lacte pastę, & à tam vilibus initiis, in tantam magnitudinem adauctę, vt orbem seque ipsam potentia lassaret, inclamat Poëta,

Qualia creuerunt mœnia lacte tuo?

Et hanc à talibus initiis tantã, gentium terrorem, orbis fulmen, quã non semel hosti supplicem, & tantum non ad humilem deductam arenam vidimus? & non campus vbi Troia, ac propè vbi Roma fuit? vbi æmula imperij Carthago? vt meritò Troia, Carthago, Roma nos timidos faciant: imò prudentes, considerantibus humana. decurramus per clara & inlustria terris loca, & videamus an vel ipsa supersint vestigia. quantos terra tegit

nec nomine notos? quantos in sua geneſi ludentes, faſtuque plenos ignobilis tegit humus? intuere;

Oſſa vides Regum vacuis exhauſta medullis.

Secerne hæc à pauperis lri. eadem te ſors manet, & hœc fòrs vltima hora eſt.

Nam licet à Pico numeres genus, aliáque ſeu te
Nomina delectent, omnem Titanida pugnam
Inter maiores, ipſumq; Promethea ponas;

Calcanda breui leti via eſt; & ad cineres lutumque redeundum ſcimus omnes. Licet non in alto pectoris, ſed in extremis natet hæc ſcientia labris. Hinc inanes illæ cogitationes, hinc in alieno nomine faſtus. & tamen ſi deterſo fucoverum ſapimus, non

Miſerum eſt alienæ incumbere famæ?
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis,

Stratus

Stratus humi palmes viduas desiderat vlmos.

Nos viduis sterilibusque regum vlmis inuehimur miseri. de ædificio nimirum nostro malè nobis est. aliorsum destinamus ramos. & non videmus quàm debili parieti innectamur, luteo, adeoque breui in puluerem redigendo?

Et vt omnia cõcesserimus, quantaq; voles ipse nomina, quid præter nomina cõsequutus fueris? rem magnam nomina non faciunt: nec semper magni qui à magnis. Imò plurimùm parui qui à magnis; ingenio, eruditione, prudentia, virtutibus, bellica laude. hoc verum, à quocunq; patre parnos magnosq; nasci. Ac ne minoribus fallamus tempus, decurramus per imperatores Romanos: videamus quibus maioribus non postremi illorũ ad orbis Imperiũ deuenerint Ælium Pertinacẽ Libertini filium accepimus, Opilius Macrinus ne parentibus quidẽ notus seruilibus officiis

primam

primam iuuentutem attriuit. Maximinum Thracię montes opilionem ſenſerunt, Puppienus à patris malleo & incude ad Imperiũ tranſcendit, Philippus ab Arabe patre latronum ductore, Aurelius Cęſar à ligonibus & falce, Carus Cæſar è tenuiſsimis initiis. Diocletianum Libertini ſanguinis agnouimus, Maximianum Herculeium ab aratro, adeoque mercenaria manu è Sirmio ad Romana ſceptra conſcendiſſe narrant hiſtorię. Valentinianum & Valentem fratres funarius pater dedit. Zenonem Iſaurica villa, Anaſtaſium Dicorum humillimi lares, Iuſtinum Thracia bubulcum, inde lignario fabro famulantem, Imperatoremque demum Oriens vidit, Iuſtinianum verò è Iuſtini ſorore patreque porcario. *M*auritius è Notario, Phocas ex humili ſago imperium tenuit, Theodoſius tertius è Publicorum vectigalium exactore. Iſauricus Leo ſedentariam exercuit, Michael

Michael Traulus ex infima plebe, Basilius Macedo è captiuo & venalitio ignotisque parentibus Orientis diadema sortitus est. Michael Calaphates parentem habuit qui apud Paphlagones diurna mercede naues pice oblineret, ipse parenti in eodem munere famulatus, inde ad imperium transiit. Et nõ Tulli Hostilij incunabula agreste tugurium cœpit, adolescentiaque pecori pascẽdo occupata fuit? & Romuli non ignoratus pater?

Arpinas alius Volscorum in monte solebat
Poscere mercedes alieno lassus aratro.

Et non

Ancilla natus trabeam & diadema Quirini,
Et fasces meruit regum vltimus ille bonorum?

Non

Plebeiæ Deciorum animæ, plebeia fuerunt
Nomina?

Vt

Vt meritò Poëtam cecinisse videas,

Summos posse viros & magna exempla daturos
Vernecum in patria, crassoque sub aëre nasci.

Imò plures longè ex humili fumâ tenuerunt, quàm in alto nati, inter alta steterint. adeò insolens est stetisse in quibus natus es. vt verum sit illud Lyrici,

Rarus enim fermè sensus communis in illa

Fortuna. & illud Homeri,

Παῦροι γάρ τι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται,
Οἱ πλέονες κακίης παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Aequat rara patrem soboles, sed plurimùm ab illo
Degenerat, pauci superant probitate parentem.

Et nos interim inanissimis cogitationibus alienæ potiùs infirmitati quàm proprio innitimur robori. aliorum exuuiis induimur, nostris pesti-

destituti, plusque alienis extollimur, cùm possimus veris & propriis. quis prudens aliena superbit veste, aut vicini ostentat opes, agrūque non suum? pueros in scena ridemus cothurnatos, purpuraque non sua superbos; quanto nos meritò magis, inani maiorum nomini tanquam ingentibus alieni pedis cothurnis innixos, purpuraque peregrina indutos? detrahe inania hęc adminicula, ornatum vanum, purpurata, cothurnataq; nomina; non atrum

Desinet in piscem mulier formosa superne?

Hoc etiam inter magna. rupes & superstantes nubibus montes superbo sterilescere vertice; at humilia quæq; fœcundo iacere æquore. Nullum deinde aut rarum ex humili periculum esse. alta petunt fulmina, submissum transeunt verticem; fortia conterunt, mollia illæsa præteruolant: intacta laurus & quidquid voluntaria iniuriæ

iniuria serpit humi. quercas & altas cedros ignis non lambit, sed e-medullat: Lusit ad hæc Lyricus.

Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, vel
Strumosum, atque vtero pariter gibbóque tumentem.

Ita maxima quæque ruinę proxima, humilia ætatem ferunt. idem in homine cogita. plures etiam cadimus prima iuuenta. pauci octogesimas hyemes, pauci sexagesimas vident. hinc illæ voces lacrymis madidatæ.

O vbi venturæ spes non longinqua iuuentæ,
Atque genis optatus honos, iuratáque multùm
Barba tibi! cuncta in cineres grauis intulit hora
Hostilisque dies: nobis meminisse relictum.

Et alibi:

Lacrymis en & mea carmina ipse
Ore natant. media cecidere abrupta iuuenta

Gaudia,

Gaudia, florentesque manu scidit
Atropos annos:
Qualia pallentes declinant lilia
culmos,
Pubentesque rosæ primos moriuntur ad Austros,
Aut vbi verna nouis expirat purpura pratis.

Plures etiam rapiuntur, cùm necdum validi gressus, necdum mensura cultibus maior, necdum

Visæ pueris decrescere vestes.
Sic plura maligno,
Afflantur vineta Noto: sic alta seneſcit
Imbre seges nimio: rapidæ sic obuia puppi
Inuidet, & velis adnubilat aura secundis.

Et quem iuuentutem egressum, viriliqúe iam cinctum toga, non in medio vanissimarum cogitationum, adeoque in ipso turbine rerum,

Deprendit suprema dies? quem verò *abire paratum*

Ac

Ac plenum vita?

Vix è multis millibus vnum Neque hęc tam prępropera Imperatoribus tantùm Regibusque eueniunt, quos recenſere longum foret: ſed multo etiam magis priuatis quibuſque in omni gente & populo, totisque non raro regnis, hinc tot redundantium gentium in alias gentes, regna, terras examina. Iones nouas in Africa vrbes popularibus pulſis inſtruunt, vtrũque Orientem tot myriadibus cęſis, vt ſanguine fluere poſſet tellus, Hiſpani Luſitaniq; occupant: Galliam Germani, Britanniam Saxones, iterumque Galli, Nortmanni, Gothi, Longobardi Europam propè totam: atque hęc non niſi ingenti illata acceptaque clade, dato hauſtoque ſanguine, vt ſolo ſanguine ſtare mare potuerit: & poſt tot bella, cędes, funera, vixiam nomina tot vbique gentium. Atque interim vna hęc è tot funeribus gloria, nomen prætuliſſe

Nort

Nortmanni aut Gothi, Afri aut Ægyptij, Longobardi aut Scythæ.

Quidam sortiti metuentem sabbatha patrem,

Ad Salomonem decurrunt; facilius enim ab hoc in Adamum procursus, cùm enim tot ciuilibus, tot exteris emedullati deruncinatiq; bellis, propria ignoremus: itur ad barbara, ad hostilia nomina, lixæ fors aut calonis aut vltimi trahariorum: talibus opulentati domestica contemnimus. ita nostrorum inopes peregrina cogitamus, & ab alio cœlo opes mutuamur. Inde huic ampla *de sanguine prisco* Gothorum nobilitas: ille Euphratea *supra diademata felix*, Troiana spirat nomina: alius non contentus si ingens Latium suppleuit genus,

Sed quibus occasus pariter famulatur & ortus,

In suum transtulit genus. quartus omnium etiam horum progressus genus,

Dives

Diues auis, & vtroque Iouem de
sanguine ducens,
De cœlo genus trahit, nimis vile è terris.
O quantum est in rebus inane!
Ex his interim crescit genus, fastus, patrimonia:
Et crescit quæcunque animo, maioraque fiunt
Incude assidua, semperque ardente camino:
Donec Vulcani domus, Vulcaniáque arma, Ætnæiáque Cyclopes inter auos reperti,
Brontésque, Steropésque & nudum membra Pyracmon:
Aut ad venatu nobilem Nemroda mentitũ genus deduxerimus: aut sanè in Numidam aliquem, Thracem, Persam, Moscum, Tartarum, Mogorem: nescio an non & in Cacum, geminos Aloidas, Salmonea, tergeminumque Geryona, ad Amphitryoniadem,
Lapithas, Ixiona, Pirithoumque.
O miseras hominum mentes! ô pectora cæca!
Qua

qualibus in tenebris vitæ

Degitur hoc ævi quodcunque est?

non veriora minùs audias minúsque testata,

Nutricis inter lemmata,
Lalliáque somniferos modos:

cùm inter somni difficultates, decantat Lamiæ turres, pectines Solis, inequitantem arieti Phryxum, Arionem delphino. & tamen delectant hæc inania, & viduata rebus nomina. & inter primas numeramus felicitates, altiùs genus traxisse. quòd si vltra illum primũ familię ductorem nomen extenderimus, redimus ad primorum parentum æmulos, ad solitos

Versare glebas, & seueræ
Matris ad arbitrium recisos
Portare fusteis.

Hinc purpura & gemmæ, & cœlata laquearia, & ambitio nominum.

Et quò tibi si à veteri Latio, si à barbaro solo, si à prisca vernacula gente, si à peregrina tellure; quò tibi si à Regibus nomen genusque

ducas? quanto è fortuita casa, è textili, frondea, palmea tunica, coruo pastus felicior Paullus est? quanto rupeo domicilio, quod nullus labor, sed manu sua alumnata natura fuerat, beatior Antonius est? quanto è triginta annorum columnatione sua, clarior omnibus Regum palatiis Stylites est? quanto Damascenus pręcisa dextera. sordium elutrice, omni Saraceno illustrior est? quanto Hilarius, Paphnutius, Benedictus, Bernardus, Nortbertus, tantorum Regum diademate & sceptris noscibiliores sunt? viuent in omnem memoriam, ibuntque in posteritatem omnem, tot terris olim parua, nunc cœlo & terris magna nomina, Vitalis, Mennas, Bibiana, Monica, Franciscus de Paula; iacebunt interim in cinere suo inglo-ria tot terris aliquando magna nomina, tot sceptra & tiarę ne nomine quidem notæ.

Vnum tamẽ illud nõ diffiteor magna fortuna magnũ.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Hoc enim vnũ in magnis magnũ. neque celari in illa fortuna vitia possunt, omniũ oculis in magnam fortunam intentis. Scitè monet Lyricus:

O Corydon, Corydon, secretum diuitis vllum
Esse putas? serui vt taceant, iumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora. claude fenestras,
Vela tegant rimas, iunge ostia, tolli lumen
E medio, clament omnes. propè nemo recumbat:
Quod tamen ad cantum galli facit ille secundi,
Proximus ante diem caupo sciet.

Addit monita tanquam à Christiano calamo.

Viuendum rectè, cùm propter plurima, tum de his

Præcipuè caussis, vt linguas mancipiorum
Contemnas. nam lingua mali pars maxima serui.

Multò etiam magis quòd obrepat inopinantibus decretoria dies horaq; soli Deo nota; vt pendula exspectatione sollicitudo fidei probetur, semper diem obseruans, dum semper ignorat; quotidie timens quod quotidie sperat. neque ætatem mors tanquam messi maturam exspectat, omnis illi ætas matura est. obuia proinde quæque nullo delectu demetit, seu etiamnum serpant humi, seu lentum adhuc tollant caput, seu superbum ostentent verticem; illumque, aut adhuc inanem, aut rebus saturum, feritque promiscuè quæcunque (vt cœlo iaculata grando, quæ purpuræ & ignobilis sagi discrimina nescit) omnibus inexspectato ingruens; tiaramque & diademata vt ignobilia elementa calcans; nobilitatisq; clara nomina vt paleam ven-

to pulsam, vt vagum puluerem, vt solares atomos, vt infantiæ bullas ridens: vnáque messoria falce & manu, quidquid vspiam resonat splendetq; dignitatum, quidquid magnorum attollitur nominũ, vt agrariam spicam horreis maturam resecans.

Et nos interim inanibus hisce ætatem terimus, quasi in illũ diem, sæuumque tribunal Dei illustrium seriem tutelarium nominum delaturi simus in defensam. ô vani! quid dicturi, quando iudices sedebunt diadematis & tiaræ, olim piscatores, & de vltima ferè plebe; etiam de mendicitate, & extrema pauperie notati? euocabimus ad nobilia magnorum nominum tribunalia? vltimum hoc est, tot terræ motibus, fulminibus, terroribus prænotatum; frustra aliud speres: in pice hic purpuram trementem, diademata trepidantia, sceptra titubantia, nobilitatem omnem tremulam, horrore concussam ante

hos plurimùm ab infima plebe iudices, ante hæc aliquando dum viuerent mendicabula, à vana nobilitate contempta, & tantum-non protrita pedibus. Quis tum animus futurus Imperatoribus, Regibus, Principibus, omni denique nobilitati, cùm sedebit inter hos minorum, vt ita dicam, gentium iudices, ad sententiam de æternitate ferendam, Fabri filius, paupere & tenella matre in ignobili spelunca pecorum domicilio natus, in frondeo aut stramineo toro vbere lactatus virgine, paupertinis pannis obsitus, in cruce demum per vincula, flagra, regios contemptus, nobilitatis risus, Phariſæorum & Scribarum ludibria, militaria sputa & alapas, populares sales, crudelia vulnera, spontanea animam morte ponens? Quid faciet in illo tribunali tanto nobilitas quæsita studio, parta sudoribus, empta sanguine? cuius tu ibi personam, si concedatur, induas, La-

zari

zari an Epulonis? Laurentij an Decij? Bibianæ an Iezabelis? Leduinę an Liuiæ? quod tunc factum voles, nūc imitare. sequere Dominum omnis nobilioris purpurę calcatorē.

Nobilis ille est qui placuit Deo. & non ille solus? nobilis ille qui nobilibus factis triumphum intulit cœlo, qui nomina sibi inscripsit cœlorum fastis, inter cœli principes magnos, magna: inter illustres animas, illustria, nulla æternitate tenebranda, nulla refigenda, nulla minuenda. & potest aliquid illustrius esse talibus, potest nobilius esse Deo? tanto proinde nobilior quisque, quanto propinquior Deo est. at omnis in illum propinquitas de vicinitate virtutum, de vitiorum fuga statuenda est. Sæculum intuere, & ex huius arbitrio etiam cœlum metire. non ille maximus qui purpuræ & sceptro proximus? qui imperantibus simillimus? idem de vicinitate Dei cogita. Ille nimirum maximus,

qui maximo illi simillimus. hanc similitudinem virtus dabit, & virtus sola. Nam si animam spectes, pares nascimur, eiusdem conditoris & parentis manibus figulati; si corpus, pares. opes & maiorum fortia facta extra nos sunt. nostra non sunt. non magis quàm virtus aut eruditio aliena. non magis quàm Sampsonis robur, Aristotelis scientia, Socratis moderatio, Mutij constantia, Ciceronis eloquentia transit ad nepotes. nemo enim in nostrā gloriam vixit, nec quòd antè, fuit nostrum est. Virtus facit nobilem; ad hanc ex quacunque conditione licet assurgere. & non imbelles nascuntur fortibus, audacibus timidi, prudentibus stolidi? quid quòd plurimùm primis quibusque ingeniis ignaua subnascatur soboles, degener parentum virtuti. Excute regnorum scrinia, vix in vna gente duos trésve continua serie reperies magnos, vnū Publicolam, Brutum, Curium, Fabricium

bricium, Dentatum, Camillum, Cincinnatum, Papirium, Marium, Sullam, Lucullum, Pompeium, Cæsarem vnum; Catones duos, Decios duos; tres Metellos, Fabios, Scipiones, rarissimo & prodigioso magis quàm consueto euentu reperies. vnum etiam Lycurgum, Solonem, Alcibiadem, Themistoclem, Pelopidam, Aristidem, Epaminondam, Thrasybulum, Agesilaum, Philopœmenem, Timoleontem, Phocionem, Pausaniam, Eumenem, Iphicratem, Chabriam vnum, vnum Hannibalem, Pyrrhum, Alexandrum, Datamen Persam vnum. vnum etiam Trismegistum, Platonem, Aristotelem, Demosthenem, Ciceronem vnum. Sallustium, Liuium, Tacitum vnum. Virgilium, Ouidium, Martialem, Horatium vnum. tres continua serie Curios Oratores fuisse pro miraculo habitum: nec eos tamē primos. ita ferè varia aut virtute aut eruditione claros tan-

quam phœnices in familiis suis singulos reperies.

Tu ergo dictis factisque magni nomen tibi procude magnum, cœloque terræque in omnem posteritatem inlustre & clarum. In huius verò claritatis æstimatione, & tanquam in statera sua appensæ cuius sententiæ stabimus? Dei an hominum? iam quæ claritas, quæ Deo nobilitas probata? non quę ex virtute nata, cœlo donanda & Deo est? Et quam tu purpuram, quę sceptra prę fers, sæculi huius, an alterius? perituram, an nullo æuo finiendam? Intuere cœlum cui natus, diadema cui conditus, regnum hæreditario iure tuum. ab his nobilitatem pete. quid illam metiris perituris? aut quousque sæculi huius

Iactas & genus & nomen inutile,

Nihilque profuturam maiorum seriem? quousque Agamemnonas, Hectoraſque Hannibaleſque, Macedonaſque, Semiramideſque,

Napu-

Napupollaſſaroſque, & quidquid vltra Dacos Scythaſque infrendet magnum? quouſque

Regulum aut Scauros, animæque magnæ
Prodigum Paullum,

Et quidquid retro apud Romanos exteroſq; illuſtre eſt, cogitas?

Aut quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroſo conſule faſti
Profuerint, cùm vita labat? perit omnis in illo
Nobilitas, cuius laus eſt in origine ſola.
Quòd ſi præcipitem rapit ambitus atque libido,
Incipit ipſorum contra te ſtare parentum
Nobilitas, clarámque facem præferre pudendis.

Benè in hanc ſententiam:

Quid genus & proauos ſtrepitis? Si primordia veſtra

Auctoremque Deum spectes,
Nullus degener extat,
Ni vitiis peiora fouens
Proprium deserat ortum.

Ni se voluntaria iniuria seruituti addixerit, an non seruit, quilibidini, gulæ, ambitioni, cupiditati, reliquisque vitiis seruit? expressit hoc Lyricus cùm in exemplum Vlyssem & Circes pocula proponit,

Quæ si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis & exors,
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

Circæa pocula non vnicuique nostrum à vitiis propinata? quæ quãto imperant fœdiùs, tanto illorum famulatus viro indignior, maximè Christiano, sanguine immaculati Agni in libertatem asserto. & quisquam has dominas ferat, & ad illarum imperium ceruicem flectat; & liber, & vir, & Christianus audiet? maiorum dignitate & libertate

tate gloriabitur seruitutẽ seruiens omnium miserrimam ? aut virtutibus se illorum iactabit, durissimo vitiorum iugo subactus ? ancillabitur illis Christianus ignauissimo famulatu ? & maiorum nomina sine rubore recensebit? nobilitatem decantabit ? non hæc, vt aliquid concedamus, ab origine petenda? quam si cogitamus, non vno Deo patre nati omnes ? siue per splendidos, siue per obscuros gradus, ad illum tamẽ primam omnium originem deducenda sunt omnia. erige tantùm animos, & quidquid in medio obscuri latet, generosus transili: & vbicunque te proaui deseret nomen illustre, destituitque dies, & alta nox caliginosa nube tegit,

Qua plurimus vndam
Fumus agit, nebulâque ingens specus æstuat atra;

Præcipiti saltu in Deum euola. Illum cogita patrem, ab hoc tibi nomen spera quod nulla deleat ætas,

nulla posteritas minuat, nulla potentia infringat, vis nulla eripiat. Et non ignauissimi pectoris testatissima signatio est, à perituris nomen petere, cùm possis ab æternis? ab auro egerie terræ? à sæculi dignitatibus vanè ludentibus, fallentibus, à maiorum dictis factisque fortibus extra te positis: cùm possis à nunquam abituris cœlorum opibus, nunquam morituris supernorum dignitatibus, fortibusque virtutum factis domi tuæ natis, quæ cœlum terramque & quidquid illorum ambitu continetur magnum, in admirationem tui prouocabunt?

Macte anime, ad æternate vocat cœlestis pater. contemne atria fumosis plena imaginibus. Nam quid hęc aliud sunt, si vera liceat loqui, quàm puerorum crepitacula, infantiæ bullæ, cymbala & inequitatæ arundines? nil te dignum, nil parente tuo Deo. illius nobilitatem clarumque cœlo terrisque

nomen

nomẽ, dictis factisq; præfer. Magnos vbique nobilis athleta spectatores habebis, laudatores, admiratores. Exurge. Et dignum te redde patre Deo. illo te iacta, illo gloriare, nobilissimarum maximarumque cogitationum illius imitator & æmulus: ita referes Regibus ac Imperatoribus omnibus tanto inlustrius nomen, quanto æternis peritura cedunt; tanto nobilius, quanto perennatura fugientibus antistant: tanto clarius, quanto sol sideraq; Ægyptias vincunt noctes.

Excute inanes proauorum cogitationes, & tuis te factis cœloque metire. magnus es, si originem tuam cogitas, si animam Deo assimilatam. quid te abiicis ad hæc ingloria & generi tuo indigna? in possessionem vocaris omnis æui, in cœli terræq; dominatum. quid vanis atauorũ nominibus incumbis? nobilis portio magni Dei es. Et non maior etiam si ingentis animi

sangui-

sanguinisq; pro te prodigum Christum cogitas? magnitudo pretij præstantiam rei denuntiat. ab hoc sanguine nobilitatem tuam censeo illo ingentes animos tolle, illo erigere nullo fine pœnitendo. & ex illius pretij magnitudine magnitudinem tuam metire, moresque vitamq; totam ad illius augustam amplitudinem compone, omnibus quà orbis patet potentibus Regibusque celsior maiorque. Hæc vna ad summam nobilitatem semita est; hæc via trita facilisque ad melioris sæculi æternatura regna, ad nunquam intermoriturã gloriam, ad nomen cœlo Deoque de perennitate coæquandum.

CAPVT VI.

VESTES. *Criminis pœnam vestem esse disces. Ignorabat hanc innocentia, reperit præuaricatio. inde abijt in ornatũ. præluditque nunc luxui & lupanaribus. assuescesdeinde*

deinde animos his metiri, vt qualem veste videris, talem mente cogites, inuerecundum, discinctum, lasciuientem, & ad omnem audaciam ac libidinem expeditum, ad omnem inuerecundiam pronum, solóque nomine lenonibus inferiorem. ita hominem suum habitus loquuntur; reconditarúmque rerum, & in ima mente latentium, testis indexque vestis est. Vt non rarò non alio opus sit indice, non alio opus sit indice, non alio delatore. ipse enim animus ornatu se suo publicat, & palâm abdita recludit.

HOmo nudus & inuestis conditori suo stetit, nec erat opus veste quem innocentia tegebat omni pallio densiùs. Accessit consiliarius serpens, à primordio ad huc vsque mendax, spondens deitatem diuinitatis æmulator, assensa est mulier, quid fuit magnum mulierē vincere diuinitatis sponsioni-

sionibus? sed nec magni molimi-
nis fuit virum trahere carnem de
carne illius, ex cuius costa figulata,
viraginis nomẽ mutuata erat, tan-
quam decidua aut mutuatitia pars
viri. Hinc iam nuditas antè igno-
rata, & vestis folia, rubori tegen-
do. vestis ergo occisę innocentiæ
tegumentum, & primordialis pec-
cati pœna fuit. Sciebat sine veste
bonum, nec erubescere norat nu-
ditas ignorata. Accessit cum pec-
cato scientia mali antè incogniti.
Inde rubor delinquentię pœna, &
iam vestis. Vt clarè videas vestem
in pœnam natam. Quam enim ig-
norabat innocentia, inuenit pra-
uaricatio. prodito proinde pudo-
ri vestis inuenta: inde abiit in or-
natum. Vt quæ de rubore: de glo-
ria nunc vestis sit. Ita quod in pœ-
nam fuerat delicto irrogatum, in
dignitatis prærogatiuam transie-
rit: quasi â delicti pœna gloria
crescceret. Nec stetit ambitio in
simplici ornatu, qui videri

conten-

contentus esset, voluit laudari, amari.

Hic vide quàm leuibus initiis, ad hæc summa venerimus: ad vestium non fastigia, sed summum verticem, supra quem nihil est. Quid exspectamus nisi præcipitia? Intùere singula diligens scrutator. Arbusta primitus, & herbida quæcunque prout obuia erant de facili arrepta primos texerunt. Satis arbitrati pudorem tegi. Nec opus erat curiosiore delectu, cùm nihil quæreretur præter ruboris integumentum. Et quę expeditior tutela ruboris? simplici cura necessaria constant: in delicias & superuacanea laboratur. Sequere rubore, non desiderabis artifices, perfacilè enim est pudorem tegere.

Sed intolerabile frigus est. Non ferarum pelles abundè frigus arcent? non est adeo inimica homini natura, vt cùm aliis omnibus facilem in defensam vestitum dederit, homo solus non possit sine tot

strictu-

strictoribus viuere. ad parata nati, difficilia facilium fastidio fecimus. obuia vestimenta erant, & leui parabilia: hodieque docemur à Scythis, innumerisque aliis, qui vulpium ac murium tergis aliorumque animalium cœli iniurias propulsant. sunt qui arborum corticibus contenti, reliqua vt onera auersantur. & verò natura perpaucis pacatur, minimo tegitur, ambitu nullo. à natura luxus defciuit, qui in horas seipsum incitat, & tot iam sęculis crescit, ingenio adiuuante vitia. ac primò superuacua cœpit concupiscere, inde nocitura, nouissimè alienis oculis & libidini placitura: vt iam rusticitatis ac miserię habeatur velle quantum satis est.

Ab hac proinde cupiditate quę nullos terminos nouit, tot nata luxui explendo, quot hodie videmus. hinc primùm intorta fila, aut ex molli solutoque ducta: hinc flamina & suspensa pondera, &

sub

sub temen insertum, quod duritiem vtrimque comprimentis tramę molliat. Lusit hoc Poëta:

Tela iugo iuncta est, stamen secernit arundo,
Inseritur medium radiis subtemen acutis,
Quod lato feriunt inserti pectine dentes.

Alter etiam in ætatis illius vestium luxum.

Qua lacerant auidas inimico pectore mentes,
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore
Attalicis opibus data vellera.

Quid ceciniſſet, si vidiſſet has nostri temporis telas, quibus induuntur nihil celaturi? in quibus non dico nullum corpori auxiliū, nullum pudori est? quid si multicolori byſſo vestes prętextas, hic albo candore lucidas, ibi croceo flore luteas, alibi roseo rubore floridas, cęruleos columbarum colli floſculos ęmulātes, multiplici vbiquę

que arte in oculorũ decipulam interludente, in quibus gemę fulgurant, margaritę nitent, coruscat aurum, mutuo lenocinio diuites;

Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo
Argentum Pariúsne lapis circumdatur auro?

Quid si nouo nuperoque inuento, omne auium, piscium, ferarum, hominumque genus, gentiumque mores, in nuda ludant tela nulla alieni mistione, solis filamentis variè, ingenioso textili commento, in diuersum deductis? vnde bella & venationes, mensæ & chorea, vites & palmites, foliis vuisque luxuriantibus intertextis; arbores etiam, siue quæ promisera sobole fœcunda, siue quæ sola vmbra contentę; adde magistratum fascibus & purpura noscibilem, militem armis, philosophum pallio, senatorem toga, rusticum baculo, pastores fistula & tibia quasi modulis dulcissimis personantes.

Adde

Adde naues faberrimè factas, malo insurgente, puppi proraque iacentibus, carchesio conspicuas, velisque aut vento grauidis, aut tanquam à partu excussis. Vt non mireris cùm audieris, nouorum luxuum auctorem primum, cerebrum cum arte telæ intexuisse.

Nec stetit hic luxus. Piscari vestitum placuit. Nam & de mari velleraque muscosę lanositatis lautiores conchę comunt, decerpta ac quasi deconchata. Bombyces etiam Seres repererunt, scopis aliquando aranearum more idoneas, nos etiam magis veneramur obseruamusque è terrarum vltimis aduectas, dum distenduntur, dum deuorant, mox reddunt, animata stamine aluo. Succis deinde herbarum & concharum alueis docuit luxuria lanas incoquere. Exciderat nimirum Deo cùm vniuersa nasci iuberet, purpureas & coccineas oues tradere, tacerem si hęc para-

pararentur corpori tegendo, frigori arcendo, æstu reliquisque aëris iniurijs propulsandis. at nunc non raro rubori propalando sunt. & iam aues etiam administræ luxus, hinc pluma vestis, nullumque propè nunc animal quod non exancilletur luxui. Sed & stolæ totæ pauone nitent, siue quà colla florent, quà terga fulgent, quà cauda iacet: ita multicoloribus, discoloribus, versicoloribus vestis omnis splendet, nunquam ipsa, semper alia, toties denique mutanda, quoties monenda.

Exordiamur à capite, iturí dein ad reliqua corporis luxui dicata. crines non vt olim leniter reflexi, qui per colla dehinc dispersi oeconiter diffluerent natura ductrice; sed capillaturæ totius structrices quæruntur, nec tenui satis est pectine discriminari, itur ad ferrum & ignem, ne quid crispando desit. vertuntur & capilli croco, & pulueris aspergine, & lixiuiorum non

vn

vno genere: quasi ætatis & gentis pudeat, ita annos patriamque capillo transferimus. Accedunt exuuiæ capitis alieni, fortè immundi, nocentis, & gehennæ destinati, vt quæ non poterat auro, crinium artificio coronetur, capillis mutuo in orbem superstantibus. nec onus sentiunt quæ gaudent videri.

Tanti est quærendi cura decoris.
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput. Andromachen à fronte videbis,
Post minor est; aliam credas.

Aliæ quasi de neglectu gloriam venantur, cùm in fronte ludunt dependentes cincinni. Nec molestiam sentiunt studio prouocatam, lam flores qui sublimem distinguunt verticem, quàm variè interludunt? Arabicis exin odoribus obunctum caput cuius aucupetur nares, si non alienas? intercurrit diseriminalis acus, quàm nisi gemma claudat Indico aut Britannico pi-

feata mari, aut ignobilis concha dura verruca, periisse rem credas. Infima etiam aurium non rarò Kalendarium explent. Saltus & insulæ teneram ceruicem cingunt, vniq́ue collari lino aureorum millia inseruntur, grandiaq́ue multorum patrimonia minimum pectoris integunt. Inde iam lumina capillorum quibus monilia variantur, circuli aurei armillæq́ue cum gemmis superbiam iungunt, quibus brachia arctantur. Quæruntur & de draconum frontibus gemmæ, & de piscium cerebris lapidositates, vt de serpente & pisce cultior prodeat mulier. Hoc nimirum deerat ad explendam omnem vanitatem. Atq; hęc propè omnia de sola peregrinitate gratiam obtinent. Semper enim raritas gratiam inuenit, concupiscentiamq́ concitat habendi difficultas. abundantia verò in seipsa contumeliosa est. Hinc apud barbaros quosdam quia vernaculum & copiosum a-

ru

rum est, auro vinctos in ergastulis habent, & diuitiis improbos onerant, tanto locupletiores quanto nocentiores.

Arctatur deinde corpus & in miseram exilitatem cogitur. tanto futuræ elegantiores, quãto arctiores, vt iam de coacta gracilitate gloria sit, neque hic vinculis aut ferro paratur: ita quæ olim criminum nomina, nunc ambitionis sunt. cætera corporis inexplicabiliter ad regulam. pedes soleæ tegunt, non tam arcendo frigori aut luto, quàm peregrinis oculis illecebræ. Nec quidquam in his nimis varium: tot sectionum genera, tot formarum, tot colorum, vt nisi purpura in his aurumq; calcetur, frustra omnis solea sit. nec gemmas hic desideres. nimis vile erat calcatũ aurum, calcari debebant gemmæ. nimisq; modesta ambitio erat, quę contenta calcasse purpuram, margaritas seruauerat vertici: etiam calceis sua lumina tanquam oculi largienda fuerant,

fòrs ne cæco obtritu lutum obte-
rerent.

Quô hæc nisi vt mulierum stu-
porem inædificent viris? sanè de
integra conscientia non venit stu-
dium placẽdi per decorem, quem
naturaliter inuitatorium libidinis
scimus. Nam quid aliud hæ pom-
pæ de proximo curant quàm luxu-
riæ negotium? nõ obstrepunt hęc
palàm pudicitiæ disciplinis? non
gratiam decoris cultus societate
prostituunt? adeò vt si desint orna-
menta, ingratam reddant formam,
velut exornatam & naufragam;
contrà si forma deficiat, vt in ple-
risq; omnibus, de suo gratiam or-
namenta supplent; vt iam etiam
de longinquo noxia iaculentur,
incautosque irretiant oculos lon-
giùs licet positos: ita draco spiritu
de longinquo absumit alites.

Et quæ non ætas in hac forma
periclitetur? aut cuius non oculis
fiat gladius? nec mihi dicas, Non
minor ornata quàm neglecta casti-

tas esse potest. Habitus mores pronuntiat, & non publicatione sui periclitatur mulier dum percutitur oculis incertis & multis? non à quot vulneratur tot vulnerat? & plures etiam, cùm à pluribus videatur quàm videat. sunt hæ versutię diaboli, qui quod improba suggestione non potest, harum ornatu perficit. Quòd si quas natalium, diuitiarum aut dignitatum ratio compellat pompaticas progredi, temperent saltem, ne totis habenis licentiam vsurpent necessitatis prætextu. Et quæ dignitas cogit

[illegible]

lis obiicere, qua[illegible]
matribus aut marito retega[illegible]
de aduersario artifice hæc nata vsque ad cœlum scandala iaculantur.

& quid sunt hæc aliud quàm summæ lasciuiæ nota, extrema verecundiæ negatio, omnis roboris propalatio, defrontatæ mentis tessera, conflatio illecebræ? quid nisi maria, vortices, breuia, scopuli, Charybdes, Scyllæque adolescentiæ nauibus, periculorũ & fluctuum ignaris? eò magis quo securiùs nauigant, nec vada hæc diffidentiæ & circumspectionis bolide tentãt. Timor prudentiæ comes est, securitas stultitiæ socia. timeant proinde quęcunque tales sunt, quæ inue-

recundo discinctu, meritò pudoris omnis interemptrices, libidinis ro-

re meretricia mens latet; in discinctis vberibus discincta castitas: nam quos iam oculos sola vereatur, quæ toto palàm pectore omnium ad-

misit

misit? quod ruboris sui secretum habeat, quæ verecundiam omnem publicauit? aut quid reliquum fecit pudori, quæ pudorem omnem denelauit? nam cuius oculis hæc reseratio, cuius hęc erubescenda retectio? iuncta viro es? quid publicas soli viro concessa? aut quid prouocas alienos? soli viro deberis. non in illius ius concessisti, cui te totã semel tradidisti? non publicatione tui facta es captiua oculorum alienorum? & hęc placere marito possunt? sin placent, non iam vxorius leno est, qui quod potissimùm in coniuge erat prouocatiuum casti coniugalis amoris, retexit imprudens aliis, vxoremq; dedit omnium feriandam oculis, omnium vulneraturam? virgo es? & quisquã credat integro pudore hęc fieri? virginẽ qui suam prodit, virginẽ credat? & non illã prodit, quę ruborem omnẽ prodit? ab intacta castitate discinctio hęc venit? aut si corp⁹ castũ, mens casta est? po

test casta esse, quæ omnium oculos publicatione sui prouocat? quæ quod sumum habebat incentiuum affectus, omnium obiicit oculis castitatem exutura, quæ omnium exponitur prostituenda oculis? hoc est virginem esse? virginitatis omnis custos pudor est, hunc quæ exuit, illam publicauit. Virginitatis indiuidua comes verecundia est. Hanc quæ destituit, illam obiecit. Verecundiam verò & pudorem omnem, nulla re promptiùs, quàm inuerecũda retectione, prodegeris. Nam quid aliud est renuntiare pudori, quàm palàm illũ in omnium oculis prodigere?

Seriò proinde dispiciat quæcunque talis est, timeat hic oculos non castè ludentes, ibi censorium Dei lumen; gaudeatque sibi & conditori nota; tentationibus suis alienisq; gradum obstruens, tegat sestiatque probitatis serico, sanctitatis byssо, pudicitiæ purpura. His namque pigmentata Deum habe-

bit

bit amatorem: induat armaturam pudoris, circundet vallum verecundię, murum sexui suo struat, qui nec illius emittat oculos, nec admittat alienos. Pudeat Christiánam verecundia & custodia sui superari ab Ethnicis. Sanè Arabiæ fœminas tradunt historiæ, non caput, sed faciem quoque ita totam tegere, vt vno oculo velato contentę sint dimidia frui luce, quàm totam faciem prostituere. Christianę non faciem modò, sed & quo nobilior ferè vnaquæque, hoc plus etiam pectoris prostituunt, diem ipsum inuerecũda retectione contaminantes, libidinumque scintillas, in quocunque soporato oculo, in quacunque mente amico castimonię somno elisa, ac sub denso timoris Dominici cinere consepulta, ingentes ignes conflabellantes.

Et quomodo hęc Christianam decent Deo suo supplicem? quomodo ream, & tot sæpè criminum

ream? quæ se vspiam stitit iudici
omni gratia floris, omni lætitia
frondis stipatam? quæ in tribunali
lacinioſis pomparum & deliciarū
ineptiis ſeſe occupauit? & Chri-
ſtiana in coccino & Tyrio pro de-
liciis ſupplicabit? proſtrata geni-
bus in habitum peccatricis, alie-
nos admittet oculos, ſuoſque e-
mittet publicatæ teſtes verecun-
diæ? Quid reliquum, niſi vt ſpecu-
lum admoneat, vt ſi quid pluſculi
ruboris, ſi quid palloris labra au
genas vrgeat, artifice manu corri-
gat? ſi quis crinis loco non ſuo
docta crinali acu reddat ſibi? mi-
rum ſi non puluerem dentibus eli-
mandis, ſi non & fucum admo-
ueat nitori mentiendo, ruborire
paſtinando, capillo vertendo,
non puluerem oculorum exordii
producendis.

Quid quòd non adoleſcentul
modò, ſed & viris iunctæ, duce
ſint ad prodigū hunc luxum? qu
ſi turpe ſit ab ambitioſo luxu vi

ci, turpe verecundiùs tegi. hinc etiam ætates requietas iam, & in modestię portum subductas splendor & cultior dignitas à maturioris sæueritatis possessione deturbant; purpurissa verò & fucus, & mentitus caluo cœnoque capiti capillus pro ignibus sunt. O vani! quamdiu ludimus in hoc pigmento, & simplices animas, & solùm columbas trahimus in capturam, in mentitę formę retia? & quis arbitretur iuuentutis castimoniam, inter hos scopulos & sinus, inter hęc vada & freta velificatam, rectum cursum tenere? Intuere propiùs quisquis salutem tuam amas. nihil inuenies in omni hoc ornatu præter ornatū, nihil præter ea quæ in fronte suspensa sunt. vt emptorē decipiāt, forinsecus ista pendēt. intus doli, fraudes, sordes, nec aliud.

De ingenti vestium copia quid dicam? vnum aliquod tenellū corpus tot circumdari quis credat? poterant castæ tegi decem, poterant viginti,

Siluestrem montana torum cùm
sterneret vxor
Frondibus & culmo, vicinarumq;
ferarum
Pellibus.

At iam vni corpusculo multorum seruorum onus leue est. nullus certior testis quàm vbi nocte iam alta se spoliauerint. Familię non infimę diuitem arbitraberis supellectilem, aut non vltimę spolia vrbis: ita magni cœnaculi mensas amplas vna mulier fatigat. Et ornamentorum nomina, vt aut pugillaribus & stilo memoriæ iuuandæ, aut auricillis egeas nomenclatricibus. pulcrè Aristophanes. *Mitræ, redimicula, nitrum, & acus, pumex, strophium, quæ post locatur funda, & posterius operculum, fucus, torques, componandorumq; oculorum instrumenta, subtilis vestis linea, vitta, zona, instita, prætexta, multitia, cython, baratrum, encyclon, tunica. Quæ sunt autem horum non dixi maxima, inaures, gemmæ, plastra, bo-*

Citat Clemẽs Alex. pædag. lib. 2. c. 12.

trylidon, fibulæ, amphileæ, monilia, pedicæ, sigilla, catenæ, annuli, cataplasmata, ampullæ, capitis ligamina, olisbi, scordia, ventilabra, clinsteres. Ego quidem defessus sum, & indignor dicendo tot earum ornamentorum multitudinem. Mihi autem in mentem venit admirari, quod eæ non enecentur dum tantum onus baiulant. O vanam & insanam gloriæ cupiditatem! ritu meretricio opes effundunt in probra ac dedecora, suaque improba & arroganti stoliditate. Dei dona corrumpunt & adulterant, artem maligni imitantes. Possem plura nomina: multa enim hic capitis, multa pectoris, multa pedum ornamenta, aut ignorata aut neglectu Aristophani, aut illo sęculo desiderata, nunc

Sæuior armis
Incumbit luxus, totumque vlciscitur orbem.

De mutatoriis quid dicam? sunt quę diem periisse credant qua non alię atque alię domo egressę. Quid

quòd vna non rarò dies non vnam in vno corpore gentem viderit. & iam miserę ancillarum greges vix custodię sufficiunt, magnaque non rarò pars blatis tineisque habitata, plus tenebras quàm dominam nouit, vt putes infelici carceri damnatam. Quid quòd tanta nunc omnium vestium, è quacunque gente, adeoque è terrarum vltimis, quà Oriens, quà patet Occidens, euocatarum copia laboremus, vt habuisse ac vidisse satis sit. Saturandis nimirum oculis, non integendo corpori euocatas arbitreris.

De lintea supellectile quid dicam? nescio an vlla vetustas viderit parem. & iam numero premimur, copiaque pro fastidio est, tenebris natam credas, ita non postrema illius pars totum solem ignorat, aut anno vix decimo exin fortunata custodia sua prodit, adeoque semel viuo domino diem vidisse in pretio habetur. Illud magnum, in sextum decimùmve

abiuisse

abiuisse hęredem quasi ab hesterna insolatione recentia Et fuere viri, quę audiat & taceat satyra! qui nullo non die peregrino lota solo indusia mutarent: quasi abluendis vnius diei sordibus patria omnia flumina nimis ieiuna forent, eundum erat ad externa.

Quid ego hic de docta puellari acu & manu referam? fidem res superat, & vincimur rebus. & frustra oratio: elumbis omnis dictio est, & tanquam ab ęstuante canicula emedullata. Adeo nihil est, quod vel Nero desideret, vel Sardanapalus audeat poscere. Omne auium, piscium, animalium genus ludit in hac acu & filo, omniumque mores gentium: idque tam fabrè, vt si vocem addas, nihil vltrà ad animam poscas. Et hęc sunt muliebri aut virili collo ornamentorum extrema, aut tanquam capiti cristę: vt iam cristatas ingenioso filamentorum ductu mulieres videas:

aut

aut ſudaria cingunt. Perirent nimirum ſordes, niſi diuite hoccuſtode clauderentur: tam operoſo non rarò molimine, vt vnius mulierculæ collo aut ſudario multorum annorum manuumque opus dependeat, ſuperbo vbique ambitu, vana oſtentatione, difficili geſtamine. Verùm non ſentit onus quæ videri amat, non patitur moleſtiam quæ laudem ſperat. Nulli laus ſua, ambitio ſua, oneri eſt, leuat onus admiratio ſperata. Aut ſi quod onus, nulla fatetur, turpis arrogantiæ confeſsio eſt. Nam quæ ſeipſam damnet, conſcientia licet pulſante, mente teſtante, Deo monente? Fortiter ornatui huic omni ſcalpellum imergit Iſaias, nullis vitiis adulans, nullis veternis parcés, adigens cauterium ambitioni, præſcindensq; pompę muliebris gulæ.

Iſa. 3. *Pro eo q eleuatæ sũt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito*

gradu

graduincedebant. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crimen earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoria, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra. Et erit prosuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispante crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Nec impari noua- Ezec. 16
cula sęuit Ezechiel: *Vestiui te discoloribus, & calceaui te ianthino, & cinxi te byssо, & indui te subtilibus. Et ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro & argento, & vestita es byssо, & polymito, & multicolori-*

coloribus. Subiũgit ornatui formã. *Et decora facta es vehementer nimis.* Formę crimen. *Et habens fiduciam in pulcritudine tua fornicata es.* crimini interminationem: *Væ, væ tibi, ait Dominus Deus.* Sequitur: *Ecce ego extendam manum meam super te, & dabo te in animas odientium te. Et iudicabo te in iudicia adulterarum, & effundentium sanguinem: & dabo te in sanguinem furoris & zeli.*

1. Tim. 2. Quis verò habitus fœminam deceat, habemus apud Apostolum: *Mulieres in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* Et apud Petrum: *Non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus:* Et Alexandrinus Clemens ad locum Pæd. l. 2. c. 12. Pauli: *Earum ornatum iure abesse iubet. Si sunt enim pulcræ, sufficit*

1. Pet. 3.

natura

natura nõ contendat ars contra naturam: hoc est, fraus minimè litiget cũ veritate. sin autẽ sunt natura turpes, ex iis quæ sibi applicant, quod non habent arguunt. addit de Apelle Cùm vidisset quendam ex suis discipulis pinxisse Helenam multo auro ornatã: O adolescens, inquit, cùm non posses pingere pulcram, fecisti diuitem. tales sunt Helenæ, quæ nunc sunt mulieres, non verè pulcræ, sed multis efficiæ & ornatæ diuitiis. Et eleganter libro tertio vniuersim de mulierisuperfacuo gaudentibus ornatu. Istæ autem non animaduertunt, dum colunt id quod est extrinsecus, quæ intus in profundo sita sunt, esse plerè inculta, horrida, & sterilia: cuiusmodi sunt etiam ornamenta Ægiptiorum, apud quos templa, eorumque porticus, vestibula ac luci magnificè instructi, eorumque atria multis columnis cincta sunt: parietes autem lapidibus externis & artificiosè depictis resplendent, ita vt nihil desit: ædes autem auro argento, & ele-

Cap. 21

& electro collucent, & ex India ad
Æthiopia variis fulgentibus lapil-
lis: adyta verò intextis auro obum-
brantur peplis. Sed si penetraliatem-
pli ambitus subieris, & ad eius quo-
est præstantius spectaculum prope-
rans, imaginem quæ templum habi-
tat quæsieris, sacerdos quispiam ex
ius qui in templo sacrificant, grauis
venerando vultu aspiciens, & Ægy-
ptiorum lingua pæanem concinens,
cùm veli aliquantum contraxerit,
tanquam Deum ostensurus, abunde
nobis suppeditat occasionem irriden-
di numinis: neque enim intus inue-
nietur Deus qui quærebatur, ad quem
festinabamus; sed felis, vel crocodi-
lus, vel serpens indigena,
eiusmodi bellua, quæ templo quid
est indigna, sed antro, spelunca,
cœno magis congruit. Apparet Dea
Ægyptiorum bellua, quæ super ve-
stem stragulam purpuream volutā-
tur. Ita etiam mihi videntur fœmi-
næ quæ aurum gestant, & in crispa-
dis crinibus exercentur, & in gem-
vnge

vngendis, oculisque pingendis, & pilis tingendis versantur, & verè Aegyptios imitantes, infelices amatores attrahere. Sed si quis velum templi aperuerit, vittam inquam, vestem, aurum, fucum, tincturam, & quæ eis intrita & incrustata sunt, hoc est, velamentum, quod ex eis contextum est, tanquam illic veram inuenturus pulchritudinem, rectè scio eum esse abominaturum. Neq; enim Dei imaginem intus inueniet habitantem, quam est consentaneum: sed loco eius fornicatrix & adultera animæ occupauit adytum, & vera esse bestia conuincetur, fuco scilicet intrita & incrustrata simia: & seductor ille serpens, mentis exedens intelligentiam per gloriæ cupiditatem, pro spelunca habet animum; & cùm omnia exitialibus venenis impleuerit, & erroris sui virus eructauerit, mulieres in meretrices transformat hic draco, fungens lenonis officio: nõ est enim mulieris, sed meretricis, illud nimiũ sui ornandi studium, narratq; illud Comici, Quid

Quid prouidi fecerimus nos fe-
minæ
Vel splendidi, quæ tot colorum flo-
ribus,
Sparsæ sedemus, liberarum mulie-
rum
Typum ac figuram destruentes
funditus,
Perniciem domorum, & coniugum
exitium,

Et filiorum vendicantes dedecus

multa deinde ex veteri alio Co-
mico subiungit in hunc sensum.
clauditque his demum verbis: *Su-*
percilia aliqua flaua habet, depingit
fuligine: alicui vt ea nigra sint cor-
rigit, tollit ceruſſa nigrorem: sun
alicui nimis alba, farina deterit al
borem: habet aliquam partem corpo-
ris candidam, eam nudam ostendit
bellos habet dẽtes, rideat necesse est
vt præsentes videant quàm sit ei o
venustum: & quamuis læta non sit
toto tamen die ridet. Subdit: *Ha-*
ad dehortandum nimium sui orn
tus studium ex mundana adduxi
pient

pientia. Et infrà: *An verò non absurdum est equos quidem & aues, & alia animantia, ex herbis & pratis surgere ac euolare proprio ornamento lætantia, iubis & colore naturali, & pennis variis. mulierem verò perinde ac si sit bestiis inferior, se esse adeo deformem existimare, vt externa, emptitia, & edumbrata pulcritudine egeat? vittæ certò, & earum permultæ differentiæ, & curiosæ ac superuacaneæ capillorum plicaturæ, & crinium innumerabiles figuræ, & pretiosæ speculorum structuræ quibus se componunt, dum eas venantur qui puerorum more insipientium formas admirantur, sunt fœminarum quæ omnem pudorem exuerunt. quas qui meretrices vocauerit, is non aberrauerit, quæ ex vultibus suis personas faciunt. Nobis autem suadet sermo, non ea considerare quæ videntur, sed ea quæ non videntur. Quæ enim videntur, sunt temporaria: quæ autem non videntur, æterna.*

Atque

Atque interim vt aliquid sexui huic concedamus. Semper enim fœminis multa indulsit vetustas formę augendę. Quis viros ferat mulieribus suppares, capillũ vertere, & in acu lasciuiore comam sibi inserere, crinibusque à fronte diuisis apertam profiteri mulieritatem? quis verò non rideat cùm viderit crines cum Apolline prę-mulsis antiis, & promulsis caproneis anteuentulos & propendulos? quis, cùm vniuersam comam modò in humeros reiectam, solutam, varieque errantem, modò in nodum collectam, nec rarò occipitio ad cutem raso, solaque fronte capillata, aut in coronæ vicem vertice propè depilato circumludentem, aut vni tantùm auri ar vtrique incumbentem, aut vniuerso lasciuientem vertici, non exclamet, Quousque hęc inania? & cùm capillum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum mor vinxeris, vel Scytharum sparseris no

non in quolibet equo densior iactatur iuba, horret nitetque in leonina ceruice splendidius? olim voracem apud Romanos volsellam nouimus, nunc cæsareatos habemus fronte supra muliebrem nitorem decoriter discriminata. Et miramur Numidatum cæsareatos equos, iuxtaque cutem tonsorem, ac cultri verticem solum immunem? miramur non apud vnam reginam leoninas iubas, & alibi asinum pectinem passum? quanto potiore iure mirabimur, cùm viderimus iuuentutem nostram, ac maturiorem etiam ætatem, muliebria omnia in capillo pati, comam struere, cutem fingere, speculum consulere, collum pectusque demulcere, aurem quoque foratu effeminare? Quid, cùm supra muliebrem mollitiem pulchrè induciatos, vt triginta non rarò vlnarum tela collum vnum cingat, annorum opus multorum,

Tantum orbem? quanto ceruix non
Sufficit vlla,

Vix adeò leone aut elephanto progenita.

In annulis verò quid primum miremur, orbiculum, palam, gemmam? omnia faberrimè & supra muliebrem ambitionẽ cælata. vestes. Textu tenues, tactu molles, purpura radiantes. Hinc illa imperia,

Rutilum toreuma byſſo
Rutilasq; ferte blattas,
Recoquente quas aheno
Melibœa fucat vnda,
Opulentet vt meraco,
Bibulum colore vellus.

è quibus illę vestes totũ virum mẽtientes, nec rarè patriam. Non & ille audeat religionem? Quousque luxus? & vinci virum veste? docuit nos magnus Imperator. Vicerat Medicam vestem, victus Medica veste est: cùm pectus armorum pondere disculptum, vulneribus signatum, cicatricibus implexum textu pellucido nudaret, anhelumque adhuc bello serico ventilans

extin

extingueret: exinde non vna infelici suorum cæde cruentatus. bene aliquando,& dictum de alio verè, Quàm ornabat Omphalen leonina pellis,tam decebat Herculem theristum. Vt mulierem virilis toga, sic virum muliebris stola. vnde illud apud Poëtam,

Sint procul á nobis iuuenes vt femina compti:
Fine coli modico forma virilis amat.

Iam cùm spargunt odores, domumque quam inambulant totam signant hac quasi nota odoratę vestis, vt credas in vnum tectũ commigrasse aut odorum diuites Arabes, aut Arabiæ Felicis germina; quid arbitraberis ? non, tam odoratis inodora tegi? ô quales in non vna gente viros ætas nostra dedit! mirum si non toti defluant, in muliebrem vestem. Quid cogitas Christiane, cùm hos videris barba & coma nitidos, de capsula & speculo totos? in quibus vt vestis,

sic oratio circumtonsa, fucata, manu facta. Non est ornamentum virile concinnitas. Et ferè magnis viris vt incomptior dictio, sic & vestis est. Illa nimia accuratio muliebris ingenij est: feminæ cùm non habeant aliud quod ostentent, ornamenta proferunt. Et quo ferè vnaquæque virtutis minus, hoc ornamentorum plus habet. Ornamenta nimirum illis pro virtute sunt. Videri amant, cumque non habeant domi nata quibus se iactent, à peregrinitate gloriam venantur, ab alieno honorem mutuantes, cùm à domestico non possint; tenuiorum mercatorum more, qui quidquid habent effundunt rectis, vt obtutu vno videas quæcunque sperare debeas: cùm potentior quisque plus habeat in recessu, contentus leui indicio ad interiora prouocasse. Et ferè quo tenuior vnaquæq; res est, hoc ostentationis habet plurimum. mendacio enim iuuã ta tenuitas est. opulentio-

lentiora commendatione non egent. Ipsa dignitas sat magnus sui præco est, non vult verbis iuuari rebus diues, de plano negotium suum agit. Ita dico. Vt primum cuiuscunque videris effusum prodigumque ornatum, omnia te vidisse cogita. Intus nihil sperandum. Quidquid opulentiarū erat, quod laudem, admirationem, amorem prouocare posset, palàm videri. Contrà vbi videris ad modestiam cuncta composita, minoraque verbis promittentem, hunc arbitrare rebus diuitem. Plerumque enim hæc commista, opulenta verba, res tenuis; paupertina oratio, res lauta. Et verò solidæ opes non egent laudatore. Illa commendationem poscunt, quæ indiga rebus dictione adiuuari debent, casura sine hoc fulcro. Ita virtus vestiri indignatur. omnis vestis minor illâ est. ostentari nuda gaudet quidquid addideris, infra illam est. Nec cuiuscunque ornamenti tanta digna-

tio est, quæ non maiora tegat, si virtuti adnectatur. Et sanè mirum, vestes de homine suo iudicare, & non rarò de toto homine, vt non necessum habeas interiora scrutari. virilis habitus est, modestus, ad grauitatem compositus? idem plurimùm de animo cogita: varius est & ad leuitatem factus? mentem ex his metire. Ab animo namque ornamenta veniunt: & animi ferè index vestis est, neque hoc priuatim tantùm, sed & vniuersim. Nam vt conuiuiorum sic & vestium luxuria ægræ adeoq; morientis ciuitatis indicia sunt, & seminariū in Republica Catilinarum.

Quòd si propiùs etiam ornatuum causam examinaueris, nullam reperies extra placendi studium. nemo enim sibi, nemo in tenebris ornamenta depromit. Scenam illa postulant, & spectatore gaudent, cui soli hęc panduntur. Et tamen Deo & sæculo placere non possumus. *Nemo* enim *potest Deo ser-*

Matth. 6

uire

uire & mammonæ Et fortiter Apostolus: *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Huius & illorum oculos implere hactenus negatum omnibus, concessum nulli. *Amicitia* namque *huius mundi inimica est Deo.* Et quid responsurus es Deo in illa decretoria hora, in his ornamentis libidinum æstuariis deprehensus, in hac facie noui lupanaris? agnoscétne suum sub alienis signis militantem, alieno sacramento obstrictum? intuere Christum cuius ductu è dura seruitute in libertatem vindicatus. Ornamenta confer militis & Ducis, serui & Domini, rei & iudicis. poteris sine rubore? aut decedes ab hac regula? æterna est, falli nescia. an de ornatu vinces, præmiaq; de victo conditore referes? aut ignorabat ille quid potissimùm sequendū, quid deligendum; tu sciebas, conditorem docturus? nam si hæc bona sunt, quæ tãto ambitu prosequeris,

Gal. 1.

Iac. 4.

cur non amplectebatur bona quæ norat Deus? sin ignorabat, vide qualem tu Deum statuas bonorum nescium. Et potest aliquod bonum esse quod ignoret, aut quo careat Deus? aut bonum quodcunque aderit homini, aberit Deo? miser Deus quem boni huius accessione vincet homo. Sin nefas est cogitare vllum omnino exulare à Deo bonum: quid vilia delegit, quibus non ornaret, sed tegeret corpus? quid ornatum omnem contempsit, vt naturæ superuacaneum, vt delicti fomitem, vt incentiuum libidinis, vt nutritium voluptatis, vt vstionis materiam? neglexisse, Deo contempsisse est: nec quisquã prudens bonum negligit, quo sine molestia potiri poterat, nisi fors maiori obstruat bono.

Relinquamus Deum & illius delectum falli nescium, rem ipsam suis ponderibus pensemus. Quis paullo prudentior, & à plebeia remotior beta, miratur parietes te-

nui

nui marmore inductos, quasi ignoret nihil illis solidi marmoris inesse: aut quòd sub Ægyptiis istis Africæque crustis lateat calx & rudera & ignobilis lapis? quis auro tecta perfusa? mendacio sanè, nisi bis pueri simus, nemo applaudit. Et quis auro vilissima integi ligna nesciat? marmora fòrs & aurum non immeritò quis miretur & laudat, vt nobiliores vilissimæ terræ verrucas; parietes & tecta vili lapide & ligno contexta quis miretur? quis, vt ab inanimis ad animata transeamus, asinum buxeo liuore macieque emarcidum amet, cùm illum viderit bullis aureis ac pictilibus balteis exornatum? extra asinum suum ornatus est. Quis strigosum equum purpura instratum, phaleris gemmeis, frenisque argenteis superbum? extra equum suum purpura & gemmę sunt. Eadem reperies in homine, quem sub purpura, auro, gemmisque sudantem vides. Intuere sub purpurea

hac aureaq; sarcina quantum sordium lateat, quantum miseriarum. Et ferè quo quis plus auro radiat, purpuraque gemmisque fulgurat, hoc plus integit sordium. Bene
1 Cor. 12 ad rem nostram Apostolus: *Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus. & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.* Quem proinde videris maiore impendio corpus velantem, hunc cogita mentiri velle hoc ascititio ornatu formam, aut potentiam qua caret, aut alieno illam mendacio iuuare: ita qui vestitum omnem Arabicis aut terrarum vltimis perpluunt odoribus, hos meritò arbitramur pœdori tegendo, fœtori medicando medicabula hæc quærere, & à peregrino solo, aut belluarum odoratis recrementis putori suo remedia mendicare. nam quis domi diues, quis de suo potens, quis viribus integris, quis forma valens, alieno adiuuari velit?

lit? mendicitatis genus, & inopiæ suæ tacita confessio est ab aliunde mutuatis opem poscere.

Hos verò tales quis felices aut beatos iudicabit? non magis quàm illum ad quem pecunia magna confluxit. Beatus ille est, cui animus erectus, excelsus, nullius appetens, nullius nisi Dei indigens est: cuius bona nulla vis excutit: quemque fortuna, cùm nocentissimum ac sæuissimum iaculum intorserit, si pungit, non vulnerat; si liuorem tanquam sęuitię vestigium relinquit, idq; perrarò, sanguinem nullũ elicit: imò in quem quæcunq; fortuita aut destinata sæculi huius iacula, grandinũ more dissultant, quæ incussæ tectis siue vllo habitantiũ incomodo crepitant & dissoluuntur; aut fluctuum instar, qui disiliunt & disrumpuntur rupe superstante, & in concussa ac indomita ceruice adlatratores suos & inimica murmura despectãte. Hunc tu beatũ meritò dixeris,

hunc forma præstanti, quem virtus decorat vestitque nobili integumento, quod nec cariem nec ætatem sentit, nec atteritur, sed inualescit & roboratur vsu. nullæ gemmæ, aurum nullum, purpura nulla splendet, si cum hoc amictu componatur: adeoq; aurum, gemmæ, purpura, nox mera & scrupeæ quædam testæ sunt, si cum virtutis ornatu conferantur. iaculatur enim hæc lucis & apparatus sui radios supra cœlorum summa: beatarumque mentium oculos in admirationem laudemque, quin & in amorem sui ter maximum cœli Numen prouocat. Cuius si in te beneuolentiæ delectaris augmento, adhibe incentiua maiora. & vt nouis semper auctibus crescat amor, cingere vestibus illicibus diuinorum horum affectuum. induere proinde sanctitatis byssino, probitatis serico, pudicitiæ purpura, submissionis coccino, pietatis Tyrio. Exornatamq; ac veluti natura

tura sua naufragam animam, hisce nitoris adminiculis subduc in modestiæ portũ, in casti cælestis amoris fidam stationẽ; discussis omnibus lacinios pomparum & delitiarum corporis ineptiis, quæ de propinquo luxuriæ curant negotium, & obstrepunt castis diuini amoris proritamentis, interniq́ue decoris gratiam adiectitio prostituunt velamento.

Fuge quisquis Deum amas. infida in mutuatitio hoc corporis nitore statio est sceleribus proludẽs, infame adnauigantibus malę spei, deteriorisq́ue rei promontorium est: inenatabile excussis profundum, irrespirabile deuoratis hypobrychium. quemcunque fluctus eius effocant, inferi desorbent. Nemo dicat, Quis tutò percauebit? exeundúmne de sæculo erit? paucorum hoc est, & non nisi à Deo delectorum. nec hoc volo. sed ponenda superuacua illecebra, & fœminam in viro mentiens, in ma-

trona lenam, in virgine meretricem. ſubmitte has doloſas plagas, hęc incautis animabus, & ſolùm columbis extenſa fraudum retia. ſepone auribus, collo, brachiis kalendaria, & quidquid de raritate & peregrinitate gratiam poſsidet; non inſerantur vni lino, nec dependeant collo, aut innectantur comis ſaltus & agri & villarũ pretia. neque enim de integra conſcientia prouenire hoc ſtudium poteſt placendi per decorem, quem naturaliter inuitatorium libidinũ nouimus. Nam quò tantis multorum periculis de Britannico aut Indico mari ambitio piſcata & voluptatis illecebra? quò inertiſsimarum concharum verrucę? quaſi deſint terris irritamẽta libidinum! & inter fæuientis Oceani fluctus quærenda aut è piſcium cerebris, aut è draconum frontibus lapidoſitas luxuriæ ſit miniſtra, vt Chriſtianus de piſcibus & ſerpente cultior, paratiora de facili libidinum

iacule-

iaculetur terris cœloq; scandala. a-page hęc à Christiano pectore lasciniæ aucupia. prima placendi Christo destinatio, cultus moderatione peragitur docebunt hęc quotquot cœlo magni, quotquot terris aliquando Christo suo iuncti. Paria si speras, paria sectare. parilitas cultus parem famulatum dominumque testatur, nec alia tutior ad illius obsequia & præmiationem via est, quàm quæ cœlo iam ascriptorum pedibus calcata est Quid nouas cogitas semitas? omnis ab illa via aberratio morti proxima est. per altas niues qui itineris ignarus viam sibi sternit nouam: qui per infames scopulos maritimaque breuia, Oceano inassuetus audax noua proludit semita: qui per arentes campos, pulueremq; nullo vestigio signatũ iter calcat nouum; non fatuus audit, & erroribus adiacet? idem de illis cogita, qui alia gradiuntur, & non sueta cœlorũ incolis via. Vis incolumis portum tenere?

tritis

tritis iam antè insiste vestigiis, & securus delige, quæ non sine periculo negligere potes. Prudens damna cum potest vitat, fatuus se iis innectit. Tu tutiora securus sequere. Totte iam olim omnium ætatum exempla in vtramque fortunam docent. Non potes ignorationem prætexere in tam protrita via. sequere. donandus præmio pari.

CAPVT VII.

SCIENTIA. *Cognosces hic 1. quæ vera, quæ solida sit. quæ non possessorem, non auditorem, non spectatorẽ lectorémve fallit. 2. quàm fatuæ apud plerosque sudent lampades, solo merito cœlo lucendæ, soli saluti accendendæ. 3. quàm inanis omnis per litteras, membranasque veteresque codices cogitatio sit. 4. prudentiam illorum qui cœlo studia reponũt, Deo dies, Deo noctes sacrant. Virtutique seriũ*

serij inuigilant, qua vna non moriturum nomen paratur. Reliqua aut senescentium iniuria temporum, aut inimica manus, aut vt quàm longissimè protendantur, dies ille vltimus elementorũ dissidio prænotandus, vt mensarum analecta, vt solearum puluerem, euerret.

QVò mihi eruditio breui morituro? quò fama litteris comparata? quò pulueri & cineri hac laudum scabie? quò pruritus & titillatio oris & calami alieni? ô inanes cogitationes nostras! impalleſcimus chartis, & posteritati valetudinem sacramus. Emedullamur ad nocturnas lampades, & per insomniam nomen venamur. & pro gloria risum, latumque pro laude cachinnum referimus. Ita dum vitam in alieno sectamur ingenio, sannas satyrasque reportamus alienas; dum alienæ manus aucupamur gloriam, inglorij viui-

mus,

mus, meliùs silentio & in tenebris aut densa nube morituri, quàm in cuiuscunque liberioribus dentibus, æmulique morsibus victuri.

Iam quotus quisque est ad quem tot nobis syderibus solibusque iudata vel de nomine manant? concedamus lectores. Quanti è millibus intelligunt? & inter hosce quàm difformia iudicia? vnus laudat? vituperant decem. Audeo, probat vnus? damnant centum. nec quisquam ferè est adeò amicus, qui non multa ad incudem reuocet. Nemo tam constans pertinaxque admirator, qui non aut plures lucernas, aut circummorsos morosiore calamo, doctiore dente desideret, vngues. Hic corpus & vniuersa damnat membra. ille multa licet probet, damnat plurima. Alius plus sanguinis boni, plus casti ruboris plus succi melioris, plus etiam natiui aut ascititij coloris, plus neruorum & virium, plus singulatim aut vniuersim roboris

boris desiderrt. Est qui delectetur macie, gaudeatque si virginem suam dictio præferat; alter torosam & matronalem habitudinem vbere suo diuitem laudat. Huic nisi Asiam totam, illi nisi Africam, qualem Tertullianea viderunt sæcula, dederis; frustra sudaueris. alteri quidquid extra Lacones est, nimis molle est, & fœminam suam loquitur: alius, nisi fluas instar Nili, arescere credet omnem venam. sunt quos solus expleat Tullius. præfers eiusdem æui Cęsarem; nimis leniter fluis. Intonas Sallustium; non placent hi torrentes per confragosa minitantes, lectoremque suum terroribus implentes. Plinios das, Tacitum, Liuium, Florum, aut Stoicum Senecam; sæuior frons est, & Catoniana hęc area duriore sarculo proscissa virum suum plusculum sapit. nimirum, non sunt implenda pectora tam audacibus dictis factisque nam vt res placeant, fit tamen

vt

vt vel puerorum more, nisi medi-
camenta saccaro oblinias, rei puan-
salutaria, vel è muliebri ingeni-
plus placeat læta vallis, & toto spar-
sa ludibundo æquore, quàm au
montes aut nemora in quemcun-
que masculum oculorum prospe-
ctum surgentia. Quid agam? nul-
lius antè trita pede sequor vesti-
gia? audio nouus. & vnde huic pa-
tricius sanguis pedibus qui vene-
rat albis? sin addo,

Nullius addictus iurare in verba magistri.

Rideor hospes.

Deligam è tot millibus aliquem
ad cuius regulam calamum hunc
flectam? inclamant, Ciceronis aut
Sallustij catulus: nihil hic de suo,
de alieno agro Moabitis spicas col-
ligit. sin pergo, & totum Cicero-
nem depluo. verborum aiunt plu-
rimũ, rei nihil ridentque fœmine-
am stolam & pallam latè fluentem
pulueremque cineremque legen-
tem, & cuiuscunque cœnaculi ana-
lecta

lecta verrentem; hyacintho licet, lilio, violaque sua floreat: rident capillum fusè sparsum, corpusque vicinaq; integentem, variis quamuis inoculationibus gemmeis tanquam stellis per firmamentum sum sparsis, discriminatum. neque enim his Romanū Imperium creuisse, stetisse. sub virili sago, callosa manu & pectore, puluerulentis genis, armata de ligonibus, falce, aratro dextera, sub pugno, liuore, vulnere, sanguine, nata succreuisse regna. monetam illam optimam esse quę pretij plurimum habeat in parua mole, ita & dictionē quę sensum plurimum, verborum minimum. virique semper fuisse plus facere, quàm dicere, fortiusque quàm molliùs loqui: dictionemq; adferre rebus grauidā, in qua verborum minimum, sententiarum & rei plurimum, & cuius nulla periodus auro aut gemma sua careat: nec illam quę in summo natet, qualia leuium metallorū sunt, sed quæ altiùs

altiùs fodienti thesauros ostentet: nam fusam illam dictionem, rotundam, teretem, calamistris circumsecus inustam, sandaliis magnitudinem mentientem, versicoloribus pictam, ad tibiam & citharam, ad speculum & capsulam factam, fœmineæ frontis & oris esse. virum tubis & tympanis delectari: nec vllam gratiorem illi musicam quàm quæ ab armorum fragore venit, ab armata collisáque mutuo dextera: talis ferè virtutis sermocinatio est, docta non bellatrix, fortis non venusta: succincta & ad corpus stricta, non latè fusa, quæ caudam non sibi, sed populo trahat. hinc illud: *Cuius orationem videris sollicitam & politam, scito animum quoque non minùs esse pusillis occupatum. magnus ille remissiùs loquitur & securiùs. Oratio vultus animi est, si circumtonsa est & manufacta, ostendit illum quoque non esse sincerum, & habere aliquid fractum.* Et sanè quò hęc ornamenta si no-

men

mentiẽdæ venustati? iam quis prudens Apelleam tabulam, Polycleteam aut Phidiacam statuam ornauit veste? Hęc non vnus magnis vbique vocibus & ingenti laterum contentione, supercilio graui, oculis ardentibus, ore seueriore, vultu athletico, & qui plus promitteret ex Herculea claua, Vulcania incude, Ioue tonante, fulminante, Dianæ vmbraculis, Iunonio syrmate, Veneris stola.

Et sanè quæ exteriùs nitent & in superficie splendent, interiùs plurimùm sordent. hinc illud. *Plus ornamentorum oculos ferit, plus nares odorum, plus sordium latet intus.* Nec quisquam maiora ornamenta minoribus texit, nec ornatum adhibuit formæ à qua vincitur, nisi aut ornatui à forma venustatem paret, aut à mutuo hoc lenocinio, toti corpori mutuandam pulcritudinem speret. Ac frustra ornatur externo, quid domestico dines ornatu plus habet ornamentorum

torum quàm accrescere illi posità quacunque peregrina manu.

Tangamus propiùs omnem literariam artem. Quantę in hac fabulę? quàm nihil spondet fixum certumque? imò quàm labili omne hoc ędificium arenę, flumini, aëri instratum? iam quantis animis surgitur in re nulla? pudet referre. De interpunctione quanta bella? non alia Roma aut Gręcia vidit maiora. de verbulo aut syllaba extra ordinem tanquam extra aciem suam posita quantis insurgitur animis? Hannibales, Alexandros, Scipiones, Cęsares, Pompeios si in partibus cogitas, nihil cogitas. cadunt hic liuores & vulnera perennatura, & ad cuiusq; lectoris oculos rediuiua, ita in omnium mentibus renascuntur infelici redanimatione cędes ęternitati cōmensurandę. Vncis ô quis non indulgeat naribus,

Nec linguæ, quantum sitiat canis
Appula, tantum

exer

exerat, aut non ingenti ciconia pinsat à tergo? ridemus insanas Regum vanissimarum ostentationum molitiones in cæmento, calce, lapide. Ridemus vesanos crudelesque in alieno suorumq; sanguine ludos, dum fines terminosque protendere, quo iure, qua iniuria, efferato singuli ausu conatuque meditantur. Et præmia tamen in his regna & prouinciæ & magnum imperi nomen: & patimur sine risu, sine manu, quæ *auriculas imitetur mobilis albas*, dentes barbaraq; calamorum scalpella, nulli amica, inimica omnibus? vlli parcere nescia, omnium odio flagrantia, obuiumque quemque calce, dente, rictu, vngula, cornibus, cauda, ferociore omni crocodilæa tigricaque rabie, scorpiacaque venenatione, impetentia. Si causam quæris tam efferæ imanitatis; commata aut interrogationes non loco positas, capitales litteras malè locatas, dictionem verbi transposi-

tione mutilam, minusq; sonoram, variamque à carioſis lapidibus, ſemieſiſque membranis ſcriptionem reperies. adde coniecturas pro cuiuſque ingenio varias, ſiue in commodiore periodi interpunctione, ſiue in ſolerti verbi in aliū locum migratione, ſiue denique in noui vocabuli ſubſtructione, veteriſve exulatione, expunctione. vt non extra lineam ille cecinerit,

Grammaticos humiles qui ſolo cortice gaudent,
Quos non admittit intus pinguedo medullæ,

Sed imperitas aures puerilium verborū ſpuma ingenti faſtu conſpuunt. Adde è Græco codice emendatius verbum, quod aut coniecturam iuuet, aut vetuſtatem ſapiat, aut longiùs illius peritiam indicet, aut admirationem nouitate, aut raritate ſua excitet. de quo quid dicam? querar, an ſileam? tacere tutius. non poſſum. mini[illegible] ſentur licet inſurgantque fremen[illegible]

tes, oreque calamoque infrendant Græco dirum imprecantes. pulcrum horum calcibus impeti, pulcrum conspui, aut post domesticum tonitru irrorari. respondebo cùm non vno, Si quis me asinus calce feriret, iraſcar? respondebo Aristides: Admone istum ne postea tam improbè oscitet, & abstergam faciem. Respondebo Socrates, Facilè diuinabam post tantum tonitru sequuturam pluuiam. Et verò ea nunc tempora sunt, vt nisi Agamemnonis aut Priami, aut errantis Vlyssis nauib. in Thyrrhenũ æquor Græca nauigent verba, sententiatim verbatimque obsoletioribus quibusq; deductis, & tanquam in Charonticum naulum deportatis, indocta non vnii infelixque nauigatio videatur. Hinc nisi aut Aristophanis leporibus, aut Euripidis dolis, aut Homeri fabulis, aut Anacreontis amoribus, aut Pindaricis imbrib. Latinos perpluerint agros, Ægyptũ inclament

Nilo tabescente. alij, nisi aut Isocratis suauiludiis, aut Xenophontis commentis, aut Herodoti mendaciis, Halycarnasseo syrmate, Thucydidis cæstibus, aut Demosthenis Æschinis bestiæ fimo stercoraueris agros; steriles ominantur auenas, & emortuos Latiæ campos, exramata pomeria, defoliata nemora, defloratos hortos, denudata pampinis vineta.

Doctiorem tamen, hos ornatus, ætatem, purumque Latium, quale Augusti æuo, ignorasse mihi certum. Rarissimus in his Cicero, Brutus, Antonius, Crassus, Atticus: nusquam Sallustius, Cæsar, Seneca, Tacitus Græco flore aut imbre Romanos vestiit aut irrorauit campos. Nusquam Poëtarum Principes, Virgilius, Ouidius, Horatius, Iuuenalis, Persius, Seneca, Terentius, Lucanus frondes è Græco in sua, hoc est, Romana, Græca aut manu aut cortice, transtulerunt nemora.

Parre

Patres etiam & fidei nostræ ductores, Apostolorum succedanei, quàm parcè Latinam Græco consperserint rore paginam, nemo ignorare potest, qui Tertullianum legit, Arnobium, Minucium, Cyprianum, Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Paullinum, Apollinarem Sidonium, reliquosque. nobis, nisi Latialis campus rore maceretur Græco, arentia pascua sunt & emarcidus ager. Nisi assutus aliquis Lacedæmone pannus in Roma niteat purpura,

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Nihil vidimus, nihil legimus; verbo, nihil sapimus. quasi nihil iam doctum, nihil prisci ævi, nihil reconditæ eruditionis & prudentiæ sit, nisi Græco turgeat fastu, Græca fulgeat stola. non his assueta docta maiorum sęcula, non Latium nostrum cùm staret, & robore se suo tueretur, nullius indigum.

Et quis Græcorum veterum no-

uorumque paginam suam infarciit Latinis? quis è Latio nostro, & tot doctis omnium scientiarum & saculorum scriptoribus, sonantia defrustauit verba? quis sententias lectorem suum implentes? quis dicta fortia, quis robore plena, quis sapientia grauida, sublimitate illustria, flore suo nitida, & ad voluptatem facta, qualia apud Latinos plurima, tanquam alieni agri florem decerpsit, vt insereret suo? Intueamur singularum gentium non indoctos vernaculos scriptores. quis Dalmata Italica miscuit verba suis? quis Hispanica Germanus, Flandrica Gallus? quis à primis vltimisve sideribus erogata consociauit Hebræus suis? docta licet, domique singulorum nata & educta, & quę nulla alia lingua tam natiuâ exprimat elegantiâ, pondere, lepore, singulæ possideant gentes; nemo tamen peregrino & non suo decerpta nemore permiscuit suis sine risu & stomacho aut amentiæ nota.

nota. Vsque adeo, stolidissimi conatus ac inanissimę ostentationis, omnium vno ore gentium tessera hęc semper fuit.

At nos nescio quod Latij fastidium capiat, nisi fortè ad Græcos mores, Græca sacra respicimus. meliora à nostris & domi nostræ nata possidemus, & viliora mutuamur, nisi fòrs nouitas delectet, & fastidium vetera ingenerent. ita ferè optima quæque si frequentatio accedat nauseam pariunt, nona licet deteriora amplectimur. Sanè si de vniuersæ dictionis elegantia, venustate, robore quæstio est; nulli cedimus: si de sententiarum pondere, dictis fortibus, prudentibus; vincimus: si de rerum frequentia ac densitate, amplitudine, maiestate, & augusta copia; vincimus: si de scriptorum varietate, numero, delectu; vincimus. Et magnum aliquid spiramus, animosque ingentes circumferimus, si à peregrina deteriore area in

beatiores campos noſtros rudera traduxerimus. Magis hoc etiam mirum, cùm omnis hęc ferè tradu-ſta mutuatio in vana ſcientiarum iactatione conſumitur. pugnamus de etymo, de verbi nominisq; varia lectione, & ingenti conatu diebus noctibusque ſudantibus, auxilia à Græcis poſcimus tam longè ſæpè petita, vt Arabes credas à Scotis ſubſidia ſperare. tacerem, ſi merita ſuborta difficultate id fieret, ſed quoties nulla impellente, nullaque aut venuſtate, aut robore accedente?

Et his meliores æui noſtri dies damus. Sunt qui ingenti menſium & annorum etiam molimine,

Nutricem Anchiſæ, nomen patriamque nouercæ
Archemori diſquirunt. alij, *quos*
Aceſtes vixerit annos;
Quot Siculus Phrygibus vini donauerit vrnas.

Non nemo etiam, maior ætate Homerus fuerit an Heſiodus, minorque

que Hecuba fuerit an Helena, aut quare hęc tam malè tulerit ætatem: Patroclus an Achilles maior fuerit annis, Sirenum voces Vlysses tulerit, & Circes pocula ignorauerit, socij biberint: an inter Italiam & Siciliam iactatus fuerit, an extra notum nobis orbem, neque enim potuit in tam angusto error esse tam longinquus. Veréne votum pro reditu simulantes,

Instar montis equum diuina Palladis arte,

Ædificarint Graij, vterúmque armato milite compleuerint, Troianáque mœnia fatalis machina armis fœta conscenderit, geminęque angues pelago incumbentes, Laocoonta

Bis medium amplexi, bis collo squamea circum

Terga dederint in expiamentum intortæ hastæ, raptatúsne bigis Hector, perque pedes traiectus fugam Æneæ in somnis suaserit. fuerítne Euander Romanę conditor arcis.

veréne aliquando indigenæ Fauni Nymphæque Romam occupauerint,

Gensq; virûm truncis & duro robore nata,
Queis neque mos, neque cultus erat?

Saturnusque

Arma Iouis fugiens & regnis exul ademptis,

Latium vocari mandauerit,

His quoniam latuisset tutus in oris.

Mezentius Turnusq; Aeneæ dextera ceciderit, an illorum Aeneas. quæ Aeneæ ex vero mater, quis pater fuerit. Anacreon libidinosior an ebriosior vixerit. Publicáne Sappho fuerit, Penelope pudica, an verba sæculo suo dederit. quantum temporis inter Orphea interfit & Homerum, quatuórne librorum millia Didymus grammaticus scripserit. quid hæc ad vitam beatam ad quam nati sumus? quid ad virtutem & mores bonos? iacta-

mus

mur intro non rarò decumanis maioribus, & impellimur in profunda irrespirabili naufragio proximi, & sedemus incurij; irretimur blandientium verborum illecebris, illicibusque multorum oculis impetimur, & venenaria passim aurium & linguæ iacula densantur, verberamur hic coma, ibi genis labrisque ridentibus, sollicitat nos aurum, & impetigine sua proritat honos: ibi effera rapiunt & humano cruore bella gaudentia; alibi insidiosa fallaxque sub amico vultu circumuentio, & dum suauiantur oculi, nouercalibus natat mens odiis. His potiùs compescendis, edomandis, & in solidum debellandis ac sub iugum mittendis, quàm curiosis litterarũ placitis dinoscendis elaboremus. excludamus supernacua & quidquid ad virtutem non ducit, quidquid abducit.

Verùm delectat acuratior litterarum cognitio. At non consultius

necessariis incumbere, & quę mentem melioribus instruant? quis superuacuis prudens insudat? aut quis paullò generosior animus leuioribus se explicat? quis non maximis quibusque adornatur, augustissimis capitur, cui celsior mens est? infimis insedisse plebeij ingenij signum est. Hinc monent viri magni, dictionem nimis sollicitam ac politam, animum designare pusillis occupatum. Magnus maioribus distinetur. Quòd si loquendum, remissius ac securiùs loquitur: si scribendum, fortiùs: ostenditque plus fiduciæ quàm curæ, vt verè dictum sit, studia dictionemque vultum animi esse. si fucata, videbis huic oratori mentem quoque tenuem esse, fractam, nihilque magni promittentem. non est viri tam leuibus ætatem terere: nec index animi magni concinnitas nec sollicita verborum disquisitio est, nec ab accersito nitore sublimia speranda sunt. Non magis quàm

barb

barba & coma de capsa & speculo formata. Fœminam hęc suam sapiunt. Virum magnarum rerum species ad se vocat: humilia verò illa nullum excelsum ingenium ad se trahent. quemadmodum flam̃a, si concessa via est, surgit in tecta, deprimi æternùm non potest, non magis quàm quiescere. Ita grandior animus ad summa contendit. addo ex mente Stoici, liberalium artium orationisque curiosiorem consectationem, *molestos, verbosos, intempestiuos, sibi placentes facere*, & ideo non *discentes necessaria, quia superuacua didicerunt*. Inter quę plurima dediscenda potiùs, quàm si nescias scienda sunt. Ita passim plena omnia reperies aut inani Deorum cultu, aut parum castarum rerum serie. in qua obliuionis potiùs scientiam quàm memorię apprecabitur quisquis æterna sperat.

Et in his tamen sudat, imò ætatem conterit, melioresque breuis

vitæ dies tanquam in re salutis anima. Quid quòd plus in illis quàm in æternitate ponitur? iunguntur dies noctibus, & tot passim deblaterat veteres patum non rarò verecundę membranę, tot derosa rudera marmoraque lasciuientia, tot pugnantes coniectationes; & nusquam Christus, nusquam gloria cui nati, nusquam beata æternitas cui renati. non hoc est in peregrino solo arenti & exsuccido, & de malignitate sua nocituro sudorem sanguinemque fundere nil profuturum, cùm habeas ad manum casta fœcundaq; in quæ calamorum aratra ducas pascua? cùm habeas cœlo natam, cœlo concessam teram, quam meliore proscindas vomere, fœcundantioribusque riges sudoribus; & si aut necessitas, aut Dei maior prouocet gloria, sanguine tanquam perenni circumspergas in fœnerariam vbertatem fonte aut flumine? In tam vilibus sudorem, sanguinem, animamque pone:

ponere, cùm posis in cælestibus? in tam leuibus dominumq; fallentibus verborum apicibus, tanquã in infida fugitiuaque arena domum constructre, cùm posis in perennaturis nulloque dominum quo destituentibus, nullo fatiscentibus, nullaque inani fortuitaque spe aut fiducia ludentibus? in tam breui morituris; multorum calamis, aut tanquam pede calcandis, aut dente lacerandis, cùm posis in æternaturis, nulliusque morsu aut ferro violandis?

Venio ad iurisprudentiam. à qua quid speres inter tot pugnantia? inter tam varia legulæa bella tantis animorum laterumque contentionibus desudata, tam inani fatuoque partium studio fota, tot dolis fallaciisque tanquam retibus circumsepta, tam ludibunda patronorum circumuentione vanis sponsionibus, clientesque ludentibus diuitata? quid enim in his plurimũ videmus aliud,

quàm

quàm inter opulenta victricia vota crumenales exenterationes, emedullatis arcis horreisque, adeoque defrumentatis sequuturorũ annorũ mesibus? dum variis pollicitationibus clientes ludunt, vacuisq; promissoriis flatibus fortuitos pro certis euentibus venditant, altercantium contentiones pręprouida ęrarij sui circumspectione, dolosis inflabellant spebus, vt mutuis partium flammis ambustis rebus, soli ipsi aureo dominorum naufragio concalescant. Intuere deinde scientię huius scriptores: & vide quãtis animis insurgant, quãtis decurrant, quâm parum consentientibus adhęrescant, quàm de vna eademque re diuersum opinentur, quàm fallacibus firmamentis innitamur: quàm rationis parum, vt exulare illam credas: quàm incertarum Legum & in vtramuis partem pro patroni arbitrio paratarum, scriptorumque plurimum dicunt quasi ad veritatem fortiter

dixisse

dixisse satis sit. vt iam ratio ferè voluntas patroni scriptorisque sit. ita dum verę solidęq; aut excludantur rationes, aut nusquam sunt, mens propè cuiusque pro ratione & lege est.

Transeamus ad Medicinam. à qua quid sperem, nisi coniecturas in vita sanguineque non plebeio tantùm, sed & Regum, Imperatorumque ludentes? hinc iam primus ille est, non qui doctissimus; sed qui fortunatissimus coniectator est, felicitas hic quędam fortunaque ludit in alieno sanguine, à quo scientiam quisque suam mercatur. quid quòd ille ferè principem in hac arte locum teneat, qui plurimum alieni sanguinis hauserit, ille imperitissimus habeatur, qui nullas animas prodegerit, vt tantum iam nominis quisque referat, quantum profusi sanguinis. miseri è quorum vita sanguineque omnis propemodum medica eruditio petitur: quorumque proiectę

animę

animę & migrare iussę medicum docuere. quorum defructata corpora dum errores imperitiamque medicantis dexterę ostentarunt, celebriorem ferro & insciti a medicum dederunt. conuoca totam medicam cohortem, & experire quàm in lubrico pedem figant, quàm in alieno faciles sanguine dubij inerrent, inarentque tanquam in vili peregrina humo & alga. Hic morbū vniuersum ignorat & manum ferrumque admonet; ille causas & principia dum dubius scisitatur, & tanquam per obscurum noctis fortuitum rimatur lumen, medica miscet pocula, datura pro fortuna felicem infelicémve euentum, mortem vitámve. tertius ab effusa bile, quartus ab æstu præcordia vrente, quintus à frigore viscera depascente, sextus à prodiga humoris diffusione, septimus emedullato arenteq; nativo humore & calore mali causas venatur. nec deerit qui sanguinem pluri-

plurim
minit
modi
uercal
nonn
stuant
quam
canter
micun
tam p
vertet
pellen
more
sudat
ad int
nares,
mine
litur,q
ma de
itur,vt
& cruc
uelato
insciti
reperti
scere,
cultro

plurimum, & mole sua interitum minitantem, alter qui sanguinem modicum & tanquam ab auara nouercali nutritia manu & vbere, nonnemo etiam tanquam ab inęstuante flam̃a torridum, alius tanquam ab hybernis niuibus albicantem congelidatumqúe & inimicum animę vaticinabitur. In tam pugnante diuinatione quò se vertet æger? dum ille æstu, frigore pellendo inuigilat alter, iste humore depellendo, accersendo desudat alius? non via trita faciliſque ad interitũ, dum antè cadũt genę, nares, oculi, antè anima medicamine violẽtata amica statione pellitur, quàm ęgritudo maláque intima depascentia nota fuerint. Hinc itur, vti dixi, ad barbaras sectiones, & crudele im̃itis animi ferrum, renelatoriũ plurimùm & medicorũ inscitię, & soli erudiendo medico repertũ: vt discat spectator demitescere, dum humana lustrat viscera cultroductore, discat exerubescere,

dum

dum secreta rimatur naturę toto
bicibus firmata. Hinc indurescit
animus & barbarum nescio quid
induit, dum in humano corpore
tanquam inter gallinę aut bouis
viscera inambulat ferrum, manus,
oculi, commiserationes ac huma-
nitatem ex assuetudine deponen-
tes, misericordiam ex frequentata
barbarie exuentes. Tacerem nisi
vota geminarentur, & votis tar-
dior properaret mors, quo citius
caturad immites cultros, nunquá
satis medici imperitiā dedocentes.

De Philosophia quid dicam? in-
gens hic campus est, in quo nobi-
lissima quęque ingenia tanquam
gladiatorum paria, orbe spectatore
medio decurrant Circo. Et quid
hic sequar aut quem? pars Plato-
nem, pars Aristotelem, pars Auer-
roëm cæco validoq; mergentium
more conatu complectuntur. Et
ego de meo nouus Iupiter cerebro
aut femore, nouum Vulcanū Pal-
lademque cudam? quis sequetur

ducto-

ductorem? quis probabit? singuli dum sua firmant, conuellunt aliena: & ferè ingenti ariete in vicina decurrunt propugnacula, eò fortiùs impetum daturi quò è deruderata ac deparietata vicinia maiorem gloriam aucupantur. Recense. Et videbis Philosophicæ structuræ tot pugnantia subtructa fundamenta, quot manus huic firmandę industriã attulerunt. quòd si vel cespitem vnum in aduersaria arce aut area probauerint, damnant reliqua. idque eo grauiùs accidit, quo ab audaciore damnatione maiorem gloriam venantur: quasi hęc stare non possit nisi in aliena damnatione tanquam rupe. hinc tam varia à varia manu. Huic nulla subnixum cœlum voluitur materia, arbitreris Angelum: alteri nec voluitur quidem, sed illo stante, circumrotatur terra pendulo perenni motu. Sunt quibus orbes in vno cœlo iunumeri propè pro stellarum varietate: nec

vno

vno omnes motu, nec ad orbium
tantùm ſuorum motum agitata ſi
dera. aliis nauigant ſtellę, & tan
quam in Oceano ſcaphæ per liqui
dum aguntur, motib. ſingulę ſuis
aliis æthera ſunt ęre aut chalybe
fluſa. Inuenias qui in hęc inferior
tanquam perpetuo matrio nixa
aut prędiuite vbere fluere velim
ſidera, aut decidui inſtar matutin
roris in ipſas adeo etiam anima
aliquid depluere propenſioris vo
luntatis, negant alij. De Luna, So
le, ſideribusq; ſiue firmatis & tan
quam trabali clauo orbibus ſui
affixis, ſiue inerrantibus ſedem
que non vnam tenentibus quàm
variè narrata? excutiamus prę
dicamenta. Vnum, duo, qua
tuor, decem reperies. Quantita
tem nunc nullam, nunc re, nun
ratione ſola à ſubſtantia ſua alian
Relationem aut nullam, aut cum
ſubiecto cui innititur eandé, nun
diſcretam ab illo. atque hinc ia
vno culicis ſaltu aut muſcę vola

cœlu
bus a
tibus.
res eſſ
reliqu
tanqu
arena
infini
partes
tercũ
æuo a
pedale
ſe in o
nec d
natisq
omne
dene
demq
numer
dera, r
poſſe,
rum h
fortiùs
& imp
libus
ducto

cœlum terramq; mutari, relationibus aut noué adnatis aut refugientibus. Habitus naturæ adsociatos res esse, nihil esse, aut si quid sint, reliquationē aliquam operis esse, tanquam vestigium pressi pedis & arena signati. Ex infinitis partibus infinitū componi, adnectentibus partes indiuisibilibus tanquam intercursu lenti glutinis: nulloque euo ac ne Dei quidem manu, bipedalem calamū partes diuidi posse in omnes arbitratur non vnus. nec desunt qui è finitis determinatisque certo partibus infinitum omne conflari, in easdemque Deo deneétente solui posse velint. eundemq; infinitate potentiæ suæ innumeros lapides, fontes, ignes, sidera, mundosque infinitos creare posse; pugnare hęc cum natura rerum humanarum inclamant alij. fortiùs validiusq; quàm pro regnis & imperiis in his opinationū molibus decertantibus partium & ductoribus & sequacibus, anteque

animam

animam ponentibus quàm vel cri-
nem vnum in aduersam partem
transferant, quid sequar aut quem-
nam? quòd si veteres consuluerí-
mus, magis etiam pugnantia re-
periemus. si enim Protagoræ assen-
timur, nihil in rerum natura certi
est, fluctuamur dubij, & fluctua-
mur æternùm: si Nausiphani, vnũ
certum est, nihil eorum quæ audí-
mus quæ videmus certi esse, nihil
proinde magis esse quàm non esse;
si Parmenidi, nihil est præter vnũ;
si Zenoni, ne vnum quidem est, to-
taque rerum natura inanis aut fal-
lax vmbra est.

Claudo has omnes scientias
Theologia. quam vnam scientiarũ
omniũ quandã quasi Deam ne-
mo melioribus tinctus ignorare
potest: siue illam cogitemus qua
scholis, siue quę pulpitis & audito-
rio nata, siue quam iudicij simu
ac ingenij magnitudine metimur
hominum moribus, vitæ, negotia
tionibus adęquatam. Verùm quo
tu

tus quisque è tam varia doctorum turba hęc aut legat, aut intelligat. & inter eos qui intelligunt quàm pauci idem sentiunt? & cùm ferè ea probemus quæ sentimus, quàm rari probant? iam in tanta raritate quid anxij stamus? quid pro his emedullamur? audeo. Quid excerebramur? quid meliorem sanguinem transfundimus in chartam; & atramento tanquã sepia nobilem tingimus animam, qua vna viuimus assimilatio quædam magni Dei? aut quid in tam exiguo intelligentium, tamque rarò laudantium numero fatigamur miseri, aut cui potissimam vitæ & sanguinis partem damus?

Et vt largiamur concedamusque his omnibus aliquid inesse, quod laudem mereatur, quodque non immeritò doctum sudorem prouocet, quod accîdat somnia, quod violenter oculos, erigatq; cadentes, & amicam quietem armata depellat dextera; quodque sollici-

tum percutiat pectus gloriæ aui-
dum, & irrequiem ingerat cord
posteritatem cogitanti: quanta he
sunt, & quàm diu victura? & vt tri-
buamus vitam, quò mortuo vita
aut quid calamorum & chartæ vita
demortuo domino? quò pruritus
aurium cadaueri? quò linguarum
calamorumque orisque titillatio-
nes cinerato corpori? sequuturane
scriptorem suum charta & calami
& alieni oris admiratio, laudatio
comprobatio stipabunt sistendum
iudici, mediumque raptum tute
laribus densabunt armis, aut ami
co cinctum defensabunt agmine
an caussam agent scelerum rei in-
exorabilis aduocati tribunalis? &
ante flecti nescium iudicem sta
bunt oratores? & quid speremus
criminibus tanquam rupibus con
sepulti à veteribus membranis,
solerti interpunctionum nomi
numque coniectura, ab inanibus
Poëtarum fabulis, libidinibus gra
nibus, à dictionis tereti rotũditate

à leui verborum flumine, aut salebrosa dẽsitate? à mascula torosaq; dictione, à virginea, ab audace, à fusa & quæ syrma trahit, pallamq; stolamq; latè spargit, à stricta & ad arma clypeumque nata? quid à Iurisconsultorum vepribus, à mutuo se vulnerantibus? à legum in alienis possessionibus lusu, à crumenali clientum internecione? quid à medica manu & ferro, dum conjecturis luditur in alieno sanguine & iugulo, & tanquam pilæ datatim vita pellitur repercutiturque fortuito prospero aduersoque iactu? quid à Philosophico robore & circo, vbi pedem pedi, pectus damus pectori? quid à docta pressaq; argumentatione, vbi duris cæstibus aduersarius petitur, præcepsque nunc huc, nunc illuc agitur? quid à Theologico acumine? à docto Scholastico puluere? à viuida ardẽtis animi disquisitione? à rerum sagaci medullitus indagatione? mors & vna dies, hora vna, momentum

rapiet quidquid hic doctum. Ibimus in cineres, in plebeium puluerem indocto calcandum pede, in ignauum cinerem rustica spargendum manu. in terram & argillam, porcorum & vermium escam, sistemur Iudici sine charta & calamo, apud quem pari libra & lance mens docta & imperita pensatur, pari, manus sub calamo & aratro sudantes, pari doctæ membranæ & agrestes caulæ. libri vbi erunt, & ad lampades noctibus sudata volumina? vbi docta charta ingenio superante manum? vbi præcox solertia ignauo repressa calamo? nisi quòd ab his grauior subductio: maioraque nomina à maiore ingenio. Splenduit hoc claruitque excultum artibus, ornatum scientiis, ingenti nomine & fama? erit cùm Deus à claritudine, maiestate, eruditione, rationum initia ponet, eo plus exacturus quo plus acceperis; vt donationis prærogatiua & cœlo eruditio concessa aut labore parta, maioris

maioris alieni æris te reum statuat: plus redditurus qui plus acceperis. ita à donorum magnitudine, magnitudo reddendæ rationis pendet. Quod tunc factum velles cùm silteris sola, cùm ab his splendidis & docta scriptione accusatio crescet, aggredere nunc anima. Deo ætatem annosque expende, noctibus illi vigila. illi vita, sanguis, vires sudoresque fluant. æterna si speras, emedullaberis illi, emaciaberis illi, deroboraberis illi: illi lampada lunaque luceat: illi dies, illi desudent profuturæ noctes & in æternam lucem migraturæ. ingentē messem spondet sudor sanguisque fusus centupla fœneraria redhibitione. Semen enim omnis hic sudor sanguisque est, cuius fructus cœlo tanquam horreo suo inferendos sperare possumus. dives est qui spondet, fallereque & falli nescius, dives non promissorio tantùm, sed & satorio, messorio, remuneratorioque verbo, cui qui-

cunque manat sudor cœlo reponitur, exsoluendus cœlo præmiatione æterna. Hunc cogita, huic studia, omnisq; seria fluat cogitatio, nulla indonata abibit. nulla præmio suo vidua. à litterarum verò studiis reliquisque scientiis quid speras? aut quibus hæ cultorem suum præmiis donabunt? non emolumentorum in iis pars longè maxima, vt audias, O hominem litteratum! sæculi sui sidus magnum! sol Italicus, Belgicus, Gallicus! Germaniæ ocellus! litterarum princeps! artium meliorum medulla! omnis purioris scientiæ mel merum! purum saccarum! quàm similis est adulatio amicitiæ? non imitatur eam tantùm, vincit. aperti auribus recipitur, & in ima descendit præcordia, eo ipso gratiosior quo lædit grauiùs, dum vitia sub virtutũ nomine obiicit blandiens inimicus. quanto feliciores erimus, si audiuerimus à cordato, O virũ, qui diligentiùs scit viuere

quàm

quàm loqui! cuius omne studium in formanda mente versatur, cuius omnis labor in animorum perennaturo cultu ponitur! huic te ornatui, huic scientiæ dede, quæ te sæculi huius terribilia, tyranni minas, tormenta, ignes, fortunæ deprimẽtes tollentesq; ludos doceat contemnere. quæ doceat fidem servare Deo, maioribus, paribus, inferioribus, eliciatque nobiles has & viro dignas voces, Vre, seca, non prodã. sed quò magis secreta quæret dolor, hoc illa altiùs condam. quæ doceat voluptatib. imperare, & tanquam efferis belluis manicas & cõpedes iniicere, & caueas ferreas, & flagris etiam comprimere ferocientes minas. quæ te liberum statuent, quæ iuris tui, quæ non seruientẽ aliis, non submittentẽ cervicem sceleri. dabũt hęc tibi virtutum ac sapientiæ studiũ, excelsum, forte, magnanimum. nam illa literaria studia pusilla & infantiæ primæ sunt, & tanquam cunarum

fasciæ. & quem hęc vllo sęculo bonum fecerunt? ne promittunt quidem. cui ad virtutem vel de longinquo viam strauerunt? cui verborum illa & syllabarum constructio, interpunctionum curiosior adornatio, fabularum cognitio & enarratio, versuum modificatio metum ademerunt, cupiditatem exemerunt, libidinē refrenarunt odia represserunt?

Iam Musica quid dabit? quid vocum neruorumque dispar concordia? quid cùm omnis voculæ melleus modificator Æolium expressero simplicem, Afrum varium, Lydium querulum, Phrygium religiosum, bellicosum Dorium? quid vbi aut Apollinem aut sequutus Hyagnem manus canendo discapedinauero, variasque vno spiritu tibias animauero, lęuisque ac dextris foraminibus acuto finitum graui bombo omnimodis peritus modificator musicum concentum miscuero? quid vbi lyra auro fulgu-

ram-

gurante, ebore candicante, gemmis veriegata varie intonuero? magnum aliquid daret, si animum cum virtute & Deo suo consonantem concederet, si mentem nunquam sibi discrepantem, nusquam cum ratione pugnante, nec quidquam præter vnum Deum extra se quærentem largiretur, si suaui virtutum concentu beatas cœlorum mentes, Deumque ipsum in admirationem & amorem exciret.

Geometria verò, Astrologia, Arithmetica, totaq; Matheseos schola quid dabit? quid latifundia metiri, auaritię calculos & digitos aptare? & quò mihi

Frigida Saturni quò sese stella receptet,
Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes?

Quæ nubes inerrent Lunæ, quæ subterlabantur Soli, quæ comitentur? quid aut minentur aut promittant sidera cùm aut hostili aut amico se obtutu viderint? Digna

hęc forent cui noctes diebus iun-
gerentur, si hominem docerent
res, & sibi metiri & labili huic ęqua
cibum potumque vix pedali sto-
macho, aurum & opes morituro
domino & fors hac hora: si non
tam diuidere docerent agellum, &
ad calculum redigere pedes etiam
decempedam fugientes, quàm ne
mœrorem incutiat melior vicini
seges & potentia, & aliquid ex meo
abradens: si non tam docerent ni-
hil de meo concedere, quàm qui-
bus modis totis possessionibus
spoliatus securus hilarisque dies
transigam, maximè cùm, si vera ta-
xenda sint, non nisi opum colonis
simus rationem Domino reddituri;
si docerent, non in quadrum
redigere quamcunque formam,
non siderũ interualla numerumq;
recensere, non nascentis Lunę mi-
strua incremẽta, aut senescentis de-
liquia, iterumq; post mortem redi-
uiuę, post vitã mortuę aut mortuę
similimę, nouo semper auctu ani-

decre-

decremento varię; non ad calculum vocare terrarū opes, fatuasq; Regum agitationes; sed animum metiri, & alterius sęculi opes pro magnitudine sua pensare, in illas meliora de penetrali pectoris vota iaculari, illis insudare, Deo pro sideribus inhęrere, illi optimā partem nostri sacrare, illi indissociabili nexu æternùm iungi: vitę denique nostrę dies ad calculos vocare, memores illius.

Si verò Solem de rapidum stellasque sequentes
Ordine respicias, nunquam te crastina fallet
Hora, nec insidiis noctis capiere serenæ.

Omnis enim hora postrema tibi erit, omnis prima, nec quidquam super hoc calculo imparato tibi obueniet. si quę fluit vltima erit, exspectata erit; sin minus, in lucrū sepones, vt aliquid virtuti accedat dum fluit, ne elabatur inanis.

Confer deinde famam quam è

diurna nocturnaque cõmentatione speras, cùm c. lesti, confer morituros laudatores, admiratores cum cælestibus. confer finem cui doctus omnis sudor calamis & charta funditur, cum Deo cui in virtutis stadio curritur & sudatur. confer vtriusque studij magnitudinem speratam. confer tempus vtriusque gloriæ commensuratum; & tutiora, certiora, maiora prudens sequere. Nam vt largiamur aliquid gloriæ ex varia scriptione tanquam riuum è stillicidio fontis manantem, quamdiu stabit hic fluxus? quamdiu stillicidium? fugit mundus, & quidquid hic magnũ, ad vilem deducet arenam vltimus decoctor ignis. Ibimusque docti indoctique ad destinatum præmiationibus finem. In hoc quæ scripturarum gloria? nam siue inter infelices animas æternis trademur ignibus decoquendi, siue inter beatas æternis donabimur gaudiis: quò doctæ scriptiones? nisi vt in infelici

felici æternitate crescant scriptori suo tormenta, qui quòd meliori-bus poterat, deterioribus dedit: quod salutaribus, noxiis impendit: vel quod à scriptione sua proba longissimus abfuerit vel sanè vt in felici illa beatitate minora conse-quatur, qui temporis meliorem partem plus scriptioni quàm vir-tuti impenderit, & scriptioni vel vanæ, vel nihil ibi profuturę, vel famæ tantùm conciliandæ, vel o-stentationi inani, vel aduersarios vltro parandi, vltro prouocandi studio, vel tuendi denique sui, nec alio.

Et sanè vna hic virtus assiduo la-bore comparata, quantis ibi scri-ptoribus anteit? vna Humilitas fre-quentatis submissionū conatibus parta, omnibus libris tanto ibi splendet glorioßiùs, quanto hic de-lituit submissior. una Continentia tanto ibi scriptoribus lucet niti-diùs, quanto hic fuit neglectior. vna Obedientia omni eruditione

tanto tibi clarescit amplior, quanto hic incubuit prostratior. vnus hic solidę Paupertatis amor opumque fuga, tanto ibi doctis voluminibus opulentescit augustiùs, quãto hic iacuit depressiùs. vna in Deum Charitas tanto ibi clarescit amplior, quanto hic enituit minor, omnibus scriptoribus libriśq; maior, omni scientia calamisque altior, omni pagina membranaque doctior, omni ingenio excelsior, viribus potentior, iudicio certior. Ibi tot doctis indocti fulgebũt clariùs; ibi tenerę virgines & quarum nec terris nota nomina omni eruditione consurgent altiùs. ibi nudis nota solitudinibus turba, eremo nata, educta vepribus & siluis, antris prostrata, glandibus & aquis pasta, librorum, artium, scientiarum & calamorum ignara, tot orbe toto eruditione claros antecibit.

Vt meritò inclamẽm, Beatus cui pro libro & calamo, crox Christi

Christi & claui; pro charta & atramento lancea & sudatus sanguis; pro docta scriptione & lectione, vulnera & sanguis prodiga nõ iam manu, sed corpore toto fusus, beatus, qui in flagris & cruce imitanda legit; qui in vinculis & alapis sequenda meditatur, qui in fellea spongia & propudiota purpura omnem contemnit sęculi purpuram, delicias omnes. beatus, qui in corona spinea omnem repressit carnis stimulum, eo potentiùs domans quo insurgit validiùs, eo generosiùs enecans quo minatur ardentiùs. Crux & vulnera non docta volumina sunt, è quibus cęlestẽ hauserũt solo cœlo concessam eruditionem tot Confessorum millia, animos viresq; induerunt tot Martyrum agmina: continentiã biberunt, continentiam professę, quę maturitatem suam soli Deo sacrarunt, quæ virginitatem suam illi soli maritarunt, mactata & enecta libidine, & quidquid ad hanc ducit:

in

in corpora sua sæuierunt generosa & spontanea maceratione, verbe-
Heb. 11. ratione, tot Anachoretæ, qui *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ. lapidati, secti, tentati, in occisione mortui, verbera experti, vincula & carceres.*

Et quò mihi litteræ, & quidquid mens manusque docta docto insit calamo? quò tincta charta dictionis purpura? quò prosa versaque facundia Elegiæ flebilis, mordentis Iambi, ridentis Satyræ, modulantis Lyrici, laudantis Heroas, intonantis classicum, aut ludentis inter pascua? quò facilis comœdus, quò terrens tragicus & horridum infrendens, aut cum fremitu, indignatione, lacrymis auditorem dimittens: si Christi mei spectem purpuram, rorantes lacrymas, conuicia & risus, blasphemiæ voces,

spinas

spinas & clauos, verbera & crucem, tristem exitum sole fugiente, cœlo exhorrente, terra tremente? quanto meliore facundia, sonantioribus verbis, potentiore motu, dictis fortioribus, doctioribus sententiis, implebunt os, pectus, calamum hiantia Christi vulnera, & nil nisi mansuetudinem, clementiam, veniam, ac tutelarem protectionem, cœliqúe gaudia spirantia: omnibus Poëtarum, Oratorumqúe querulis aut elegantibus verbis, siue ad venustatem, siue ad eruditionem, siue ad motum delectis ac compositis? quanto melioribus densioribusque lacrymis fluent genæ Christi sanguine madidatæ, sudoribus maceratę, quâm quæ aut Poëtarum lamentis, aut Oratorum perorationibus exprimuntur? quæ leges, crucis legibus in innoxio vertice pro tot noxiis gratiores? quę Principum placita, cælestis Patris, in delictorum expiationem, sanguineo decreto certiora?

tiora? quis legibus pœnam debuit & pro nocentibus innoxius ad omnem iustitiæ expletionem exsoluit plenius? quæ medica manus balneaque cum hoc sanguinum sudorumque balneo comparari potest? quis fons, quę ve medicabilis aqua cum hoc purpureo lateris fonte, aquam sanguinemque de uomente, imbreque salutari suo exlumque terramque perpluente? quæ herbę, hortorumque pratorumque flores, cum hoc purpureo manuum, pedum, capitis, corporisq; totius perenni flore componi possunt? semel hic sanguis fluxit, æternùm medicus fluxit. semel propinatus est in delinquentiæ veniam, æternùm expiat. semel porrectus est in venenarij paradisiaci delicti antidotum, semper profuit. Ierosolymæ fusus, limbum cęlumque penetrauit.

Iam quæ Philosophia, quæ Theologia cruce hac certior? tenebrescunt omnia ingenia ad hunc Solem,

nocteſcit omnis eruditio ad hanc lucem cruci ſuffixam. in hac indocti ſapiunt, & ſimplici mente inhęrentes vulneribus, teneroque affectu confixi clauis, ingentique fiducia pleno ſanguinem ore proluentes, plus referunt hauriuntque eruditę mentis, quàm omnis Philoſophia aut Theologia ſpondere audeat. Docta nimiùm vulnera, erudite ô nimiùm ſanguis, omniũ vbique ſcientiarum cælo terraque conceſſarum fons largiſſimus, mare magnum cuius vna de millibus gutta cęlum explet terramque, cælo terraque, & quidquid illis continetur, ſanctior, nobilior, maior. omnis cui humana eruditio comparata, fatua, delira, meraque inſcitia eſt, indigna calcari pedibus, ſubſterni verbere indigna ſcientiæ nomine. Proficiſcere anima ad hos doctos ſcientiæ fontes, ad hæc eruditionũ purpurata flumina. nõ multis annis ſcientia hic paratur, nec magno molimine doctrina

com-

constat; vltro se hic omnis sapien
tia expandit, protendit manus
laxat brachia, plenoque effundit
sinu quidquid cœlo terraque do
ctum. amplectere. strata facilisque
via est vltrò profundenti. haust
vno audaci amoris haustu eporte
potes quidquid cœlo terraque ma
gnum, quidquid doctum. Ne
certior diuiti quàm pauperi, docto
quàm indocto, valido quàm debi
li, potenti quàm egenti, patet adi
tus. facilis cuique ad omnem scie
entiam ex hoc fonte via est, prona
ex hoc flumine potatio est, larga
diuesque ex hoc Oceano salutari
um vndarum copia est.

Extingue sitim quisquis es, ob
lectationes animorum quæris? ma
ria hic sunt. Ne exhorreice hoc
profundum. licet mergeris, bea
tus. & sanè felicia in inenatabili
hoc profundo naufragia sunt.
quid hæres? beatus ille qui ad amo
ris hosce scopulos impingit nauem
quem absorbent fluctus, effocant
vnda

vndæ, ne verere. quin & totis faucibus elementum hauri. permistus amor fluctibus est, innexa his vndis scientia est, omnisque eruditio perennatura. quam nulla temporis longinquitas, nullæ inualetudines frangēt minuéntve. quòd si pergis hic etiam sitire, si ignorantiis integi, ignauiæ tuæ tribue: nam si vel ora reseras, influent totis ostiis oblectationū flumina. sin deliciarum venaris rorem? fontes reperies perennes, nulloq; sitibundum anhelumque venatorem suum die destituentes. Amorum perscrutaris torrentes? flumina hic habes in quibus natet hæc amans anima, paradisiacis meliora, certiora. Vina te delectant? ingredere cellas has promas. quid metuis sanguinem? vina fundunt nullis componenda. hinc fortunata illa pocula amoris mista manibus, quibus nobili celeusmate præit pocillator noster, *Bibite & inebriamini amici mei*, ebrietas hęc Virgines, Martyres,

res, Doctores generat. erant h
perfusi Apostoli, cum momen
citiùs piscatores facti sunt or
Doctores, à plebio sago & pect
nati momento sæculorum ma
stri. nusquam hic scholæ, nusqua
magistri, nusquam libri, nusqua
rostra & æmulę exercitationes va
cęlesti spiramine, à rustica scaph
ab agrestibus retibus, à pertend
piscatione prodeunt omni facun
dia, Philosophia, Theologia in
structissimi. intuere altitudinem
Paulli, maiestatem Petri, gravita
tem Iacobi, robur Thadęi, acum
& delicias Ioannis. & vide an vll
sęculaà quacunque eruditione pa
ratiores tulerint. intuere omnium
vbique gentium vernaculos scrip
tores, & vide, num quis Paullo in
metur profundius, Petro docen
augustiùs, Iacobo exsurgat gra
uiùs, intonet Thadeo validiùs, flu
Ioanne in epistolis suauiùs, an
anteprouida futurorū cognition
in Apocalipsi extollatur sublimiù

atq

atq; hęc vno superno afflatu Christi cruce & sanguine tanquam anteambulo ac prænumerario didactro institutionis non multò pòst sequuturę, dum vnus Spiritus & validos amoris ventos & doctas iaculatur linguas, omnium ętatum scientiarumque omnium eruditrices.

Quòd si sapientię reliquarumque te virtutum pulcritudo capit: plena hic nemora sunt. & quę fœcundior hac arbore silua, è qua poma carpas primordialis delicti & dolosi pomi ementitę sponsionis depulsoria? excute ramos, qua cœlum se terráque porrigit patulos. quos flores fructusque desiderabis, siue ad delectationem varios, siue ad necessitatem certos, siue ad mala pellenda medicos? Odoribus delectaris? fluit hęc arbor odoratioribus lacrymis, quàm quę terrarum vltima odorumque diuites Arabes odorato diffundunt imbre. Peccata te terrent? imer-

imergere his lacrymarum, & sanguinum balneis, perlauaueris. Mo-
ste animis. & rape has occasiones
certi nitoris, felicitatis certæ, vi-
le tu nihil penes Deum nisi nau-
antis stomachi fastidium, arbori-
as qualis penes aquas seritur & in
fructibus perennat. ne dubita im-
mergi his balneis, mundaberis
abstergeturque quidquid aut ve-
tus error inquinauit aut ignoran-
tia contaminauit, aut defœdau-
improbitas; mundamque pecto-
ris tui domum Spiritui sancto se-
peruenturo parabit, quò se ille cum
cęlestibus donis lubens volensque
inseret.

Neque tu hic mihi ingenij tenui-
tatem, aut languentis memoriæ
fluxam labilitatem adfer. nihil e-
nim altitudo aut hebetudo mentis
ad cælestem hanc institutionem
virtutum insationem, scientiarum
largitionem afferunt adimuntque:
omnis mens bona omnium hic ca-
pax est, pectus omne docile est.

geniu

genium omne idoneum est. tantùm aude & persta. quo maior fiducia, plus referes. quo ardentior amor, hoc munificentior dextera, & eruditior scaturigo est. Aude. Quid repulsam vereris? etiam post illam patet via. bibe. quid ebrietatem pertimescis? etiam ebrietas hic laudata. amplectere. quid virginem tuam circumspicis? omnis hinc exulat non castus pudor. oscula infige. quid oris verecundiam pudicamque frontem cogitas? nihil his basiis cœlum terraque tulit castius. Quid ætatem adfers, aut congenitam ingenij tarditatem recenses? tenellæ hic virgines vincunt viros, pueri Philosophos rident, & indocta plebecula primos Theologos post se relinquit. docent Cæcilia, Catharina, Agnes, Agatha, Lucia, Christiana, Susanna, Domitilla, Prisca, Emerentiana, Barbara, nec vlla eruditior scientia est indocta hac insciitia, quæ extra Christū suum, illumq; cruci

ſuffixum nihil nouit. felix ignorantia, dilecta Deo, æternitatis ſocia. ſola prudens, ſola docta, ſola ſecura ſui, ſola æternùm beata, ſola æturna æternùm.

Erigere anima. viue hac cœlo ſapiens, fatua terris. viue cœlo cognita, ignorata terris; cœlo docta, indocta terris; cœlorumque eloquentia, Philoſophia, Theologia inſtructa, infans & neglecta terris. felix infantia, ineruditio felix, quæ te doctam ſtatuit Deo, & illi ſolæ æternùm illi. felix quæ extra hunc vnum nihil audit, videt, loquitur, extra crucifixum ſuum nihil intelligit, meminit, ſapit: extra hæc vulnera nihil ambit, amat, ſequitur. cuiusque litteræ omnes, Philoſophia ac Theologia omnis, ars, ſcientia, votaque omnia & calentia de penetrali pectoris ſuſpiria eunt in vnam crucem.

Hoc demum viuere, hoc ſcire, hoc ſapere eſt, intra hęc vulnera viuere, morienti cõmori, patien-

consociari, suffixo affigi, totumque in cruce hac amoris nidum figere, nec aliud præter hunc flagris concisum, pugnis contusum, sputis turpatum, vinculis arctatum, spinis coronatū, clauis confixum, lancea perfossum nosse & sapere. Hic enim omnium scientiarum finis & terminus, hic spei & fiduciæ nostræ, hic fidei & amoris, hic coronæ & gloriæ, hic triumphi & beatæ æternitatis semita & meta est. frŭere anima mea, & pascere, teque ipsam exple hac scientia, quę sola verè doctum, sola sapientem statuit, & extra quam omnis humana eruditio, eloquentia, Legum peritia, Medicina, Philosophia, Theologia infantia, mera fatuitas, & extremi delirij vltimæque insciticæ certissima consignatio est.

CAPVT VIII.

BELLA. *Quorum leues plurimùs cauſſas, & ab inopia, improbitate, faſtuque natas, feroces ductus, infauſtos exitus, immanitatemque ferociamque ſupra belluas hic videbis. Neque enim iam vnius veteri tantùm, ſed & vnius patris ſoboles, vnius ſpiritus aura, vnius argillæ portio, vnius propaginis ſurculi, vnius ſeminis frutices, vnius cœli hæredes, vnius ſanguinis pretiũ, in mutuum armati iugulum ſtamus, tanquam ab hauriendo, & non à prodigio Chriſti exemplo, ſanguine dandi gloria naſcatur. Hanc qui quærit, cœlo quærat: cui ſoli illam reppoſuit Deus fœneraria largitione remetiendam.*

HACTENVS homines, nũc etiam iũaniores feris. quarum ferociſsimæ quæque intactum hominem tranſeunt, mitescunt blandi-

blanditiis. Ita delphinis, quibus velocius nihil habent maria, ita vt etiam salientes nauium transuolent vela, cùm prouocati insigni aliqua contumelia, iraque subiacet, inhorrescunt dorsuales spinæ, & statim minæ & bella. admoue musicam, conquiescunt animi, & vbicunque symphonia est, gregibus adnatant. admoue humanam vocem mulcentem, blandientem, recondunt iras tanquã in vaginam, vt captos arbitrere humana voce tanquam modulis & tibiæ cantu. quid quòd familiaritate semel imbibita mœror exsurgat, si qua mors occupauerit amatum, etiam vsque ad vltroneam mortem, vt nihil in his requiras præter ferrum & manus quibus testentur amorẽ. narrant veteres cùm à Baiano littore inequitantem puerum delphinus Puteolos deueheret, emortuo equite suo, sub oculis publici desiderij mœrore vectorem interiisse. eadem habes in Herma puero, quẽ

cùm insidentem vndosior nec-
set fluctus, ad terram cadauer vi
renexisset, confessum reatũ suum
delphinum pœnitentiam mor
mulctasse, cùm profunda tanquam
inhospitę crudelitatis inimicum e-
lementum detestaretur.

Quànto homines, si oculis o-
bem qua patet inambulemus, ſæ-
nissimis belluis crudeliores sunt?
rapiuntur non vno loco in quem-
cunque sanguinem. non & con-
sanguineum, adeoque eiusdem
teri? inuenias qui mutuo se vic-
mas habent, & ossibus adolent
ignes focorum; hinc si quem ho-
stem nacti,

Illum in plurima sectum
Fruſta ac particulas, vt multi
mortuus vnus
Sufficiat, torum corrosis ossibus
edit.
Victrix turba. nec ardenti decoxit aheno,
Aut verubus (longum vsque adeo
tardumque putauit,

Exspe-

Exspectare focos) contenta cadanere crudo.

Sunt qui de hostium cutibus & se & equos integant crudeli pronocamento. sunt quibus cibi sunt humana viscera, & qui hostilem cruorem è vulneribus ebibunt belluino suctu. crescitque apud hos gloria ab epoto sanguine, vt inter opprobria vel maxima sit hunc ignorasse, castasque retulisse fauces. quin & fœdera inter hos cruenta sunt, mutuoque mistum sanguinem alacres hauriunt. hinc decantatum illud,

Solitosque cruentum
Lac potare Getas, & pocula tingere venis.

Nec honos alius maior quàm plurimum hausisse ab aduersarij iugulo, dum adhuc calet anima & spirant minæ, & feruent odia, quasi abeuntem inimicam animam in viscera sua tanquam in hostili monumento recondituri, quo æternùm sæuiant. reperies, ne quid

immanitati desit, quibus dece
summum in parentum cadaue
sæuire dentibus, & pecudum mi
stas carnibus mensas instruere, ca
pitumque ossa auro inorata in po
culorum circumferre ministeriu
quo purior sacratiorque ex his bi
bat quicunque sanguine propi
est, vt mitia iam censeas Diome
dea præsepia in quibus in homi
nem non sæuiunt humani dentes.

Mites Busiridis aras,
Antiphatæ mensas, & Taurica
regna Thoantis.

Non belluas vincimus? omnium
ferocissimam Basiliscum tradunt
herbas necat & arbores, corrum
pit, aërem vt nulla propè auis im
punè transuolet, adeo pestilenti
spiritu in vicina quæque grassatur
horrentque etiam serpentum reli
qui, si quando vel eminus venien
tis sibilum exceperint, pronique
fugam meditantur. homines non
vicina tantùm, sed terrarum vlti
ma ferro & igne depopulantur, vt

cùm

cùm in propinquo desit, quærant per tot spatia crudelitati suæ segetem. & Basiliscus reliquæque feræ rarò ad sanguinem propter ipsum veniunt, fame stimulante rapiuntur ad hæc sæua, quæ vbi resederit, plurimùm & ira & crudelitas: nec resumunt hanc nisi aut proritatæ, aut fame victæ. homines quantis de caussis ad sanguinẽ decurrunt? quantis in innoxio sæuiunt iugulo? quoties effera rabie viscera scrutantur nihil nocitura? quoties tanquam per iocum & lusum aut aleæ iactum voluuntur in sanguine? & belluis satis est occidisse; homines etiam tormenta in morte quęrunt, indignabundi si in vno simplicique mortis genere hostis cadat, cogitantque sæuitiæ suæ pabula, vt toties pereat quoties per nouos cruciatus pellitur anima.

Nec hic stare consueuit crudelitas, lentas perquirunt mortes, vt per singulos cruciatus ferocia probetur. vellent nimirum æternùm

inimicum mori in æterno cruciatu, nouisque auctibus per momenta pœnas crescere, odio crescente ita dum æterna fouent aluntque odia, æternos vouent cruciatus, neque satis sęuisse in viros, iurad mulieres imbellem sexum, in quarum etiam vteros sæuire placet. mitior Herodes qui in natos sęuiit nec passus est militem sęuire in abdita naturę, quę voluit crudelitati sue intacta. At inter arma non pauci, vbi classicum insonuerit, nisi effodiantur vteri, & vix ingressa animę violenta raptentur manu, nimis sibi clementes videntur, dura obstetricatio quę ferro viam parat in interitum. Ita plerumque gratuitò malos & crudeles audimus. adeoque, ne per otium semel tympanis excitę torpescant manus, fontibus exhaustis, iurin insontes. vt iam iuxtà bonos ac malos trucidare glorioſum, virgines rapere pulcrum, puerosque à parentũ complexu à sinu & vbe-

re ma-

re matrum, matresque familias in alienam potestatem redigere, cadaueribus denique, cruore, scelere promiscuè omnia complere.

Sed neque hic furori finis, itus in lapides, arbores, herbas, pomœria, in piscinas, fontes, flumina. vt ad ferociam satis sit adnumeratum aliquando fuisse inimici possessionibus ita

Nulla manus requies, densisque insibilat aër
Verberibus,

Si ferro vulnerique materia desit. quousque ô furor! & ex his laudem etiam sperant repleturi alicuius historiæ lacunas infami pagina. minùs nimirū glorioſum elatsem in hostili natasse sanguine, cadaueribusque acta retro flumina: si non orbis ipse subducatur pedibus, si non incendio latè populante, pecoribus arboribusq; enectis, in mutos sæuiatur lapides, in hostiles cespites, in ligna & lateres, minùs fortes validique habeantur.

Et homines hi dici volunt, & non immaniſsimę belluę? ſed & gloriam ſperant, tanquam à generoſa manu & pectore hæc tam barbara naſcantur. virtutisque etiam nomen ſceleribus imponunt. hinc peſsimarum rerum audacia, fortitudo vocatur; bona aliena largiri, liberalitas; miſericordes, ærarij fures, alieni innoxij ſanguinis prodigi largitores, iuſtitiæ adminiſtri. qui cùm bonos omnes perditum eant, improbos quoſque foueant, Reipublicæ conſuluiſſe videri volunt: cumque paſsim oppida, municipia, colonias ſpoliauerint, euerterint, ſtupris omnia polluerint, non ſacro non profano abſtinentes, continentes audire volunt. imò, quo quiſque in libidinem ac fæuitiam corruptior, hoc moderatior haberi deſiderat. & communeiam vitiis virtutis nomine inſigniri velle, tegiturque pulcro veſtibulo infamis domus.

Pudor

Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum, vera fallaces probant,
Simulantque molles dura.

At intuere tacitus mecum in alta Rempublicam pace, videbis exulare hęc crudelia & barbara feritate hominem infra belluas ponentia. ex illa enim lenitas & mansuetudo, & mutuę dexterę, & sine custode & armis vita secura sui. sepone arma, ignorabis crudelitatem; pone ferrum, & damnata feritas est; tubæ sileant tympanaque, & exurget probitas pietasque; insonet classicum bellaque matribus inuisa, quæ quemque dignitas, virtus, ætasque proteget, quo minùs stupra cędibus misceantur? hic grandæuos senes, & exacta ætate fœminas viles ad prædam, in ludibrium trahi videbis, ibi adulta virgo, aut quicunque forma conspicuus tot raptatur manibus, vt ipsos non raro raptores in mutuam perniciem

niciem ardor agat. alibi templorum calcantur dona; & quę sacrata Deo, prostibula exornant. Ubi obuia quęque direpta, abdita per verbera & tormenta scrutari iuber, fiuntque dominorum proditores serui, liberi parentum, & adultę virginis mater. faces dehinc in manibus, quas vbi præda omnis excussa, in vacuas domos, & inania per ludibrium & lasciuiam iaculentur templa, vt vel ignibus sitim expleant quam non sanguine, non libidine, non præda valuerunt. hinc deformis & misera passim facies, vulnera simul & scorta, cruor & adulteria, ignis & præda, lacrymæ & risus, ac inter arma plus quàm in luxurioso otio libidinum, prorsus vt eosdem furere credas & lasciuire. inde tanquam per lusum frigido etiá nunc ferro & mente sæuire placet; vt arbitreris in varia cęde, oculorũ pabula quæri. quòd si quibus relicta in pœnam animæ, tenebris clausis

sęuoq; arctati ferro, cum mœrore & luctu, inter repetita verbera, nouosque cruciatus, morte grauiorem vitam exigunt. iam quoties instratos per cubilia, propterq; mensas, nullo hostili metu, non timore, ac ne belli quidem fama, flamma ferroque grassatur miles, nulla aut sexus aut ætatis commiseratione, nullo sacro prophanoq; delectu? nec aduersis tantùm castris, sed ex iisdem cubilibus, quos simul vescentes dies, simul quietos nox habuerat, ex iisdemque contuberniis discedituri in partes, ingeruntur tela, clamores, vulnera. & dubia sæpè causa, suorumq; iuxtà ac hostium ignoratio. ita cęci in mutuum ruunt sanguinẽ, non humani, non diuini iuris memores, non socię mensę, non coniugalis thori. Ferox nimirũ animus praua semel viâ ingressus, vbi consueta non suppetunt, fertur accẽsus in socios, in ciues, in consanguineũ sanguinem. mouet composita, res nouas

veteri-

veteribus componit. & si negatum alibi, sæuit in domesticos, in filios adeoque in thori sociam.

A fratre frater, dextera natipa-
rens
Cecidit, maritus coniugis fem
iacet,
Perimuntque fœtus impiæ matrem
suos.

Tantum ad improbitatem valet inchoata per classicū feritas. non sistit illa, nec antè modum ponit, quàm domestico satietur sanguine, cædemque cæde, sanguinemque suorum sanguine expiauerit. eumque per vndantem vndique sanguinem vestigia traxerint, perque socia corpora viā sæuitiæ straeuerint, carnificumque manu thea-tra maduerint, ciuiumque cruore tota natauerint oppida, insepultusque opulentissimarum ciuitatum ruderibus populus iacuerit, cineribusq; cineres permisti nullo lignorum cadauerumq; discrimine; cùm quæ sæculis creuere vna

rapuerit

rapuerit hora, & ad humilem arenam vagumque puluerem deduxerit ~~inimicus~~ ignis, mutuæ eunt gratulationes, onerantur barbaris narrationibus mensæ; & sicca pocula sint, nisi narrato natent sanguine; languida fercula, & nauseam hospiti suo factura, nisi his famem prouocantibus condiantur. ille maximus qui ferocissimus, quique plura crudeliratis exempla per cachinnum & iocum miscuit, bis crudelis, facto & narratione, fòrs etiam narratione crudelior: facta comitantur ira, indignatio, & recentia odia, ac tanquam fornace sua calentia at vbi illa resederint, & vindictę iam litatum est, quæ rabies posito ferro, inter amica pocula, conuiuales mensas, eadem cogit tanquam nouum ferculum nouę feritati saturandę repetere? & quorum memoria ruborem meritò cuicunque etiam durissimę fronti excutiat, iucunda commemoratione recensere? vt non iam

subitę

subitæ indignationi & in furor
suo ebrię, sed improbitati, diuan
tè conceptę, diu animo fotæ, scele
ra tribuas. quod nisi foret, pulsa se
mel ira, antè pœnitentia quàm ob
lectatio nascereturnunc cùm fri
gidis iam præcordiis cum volupta
te narrantur, à quo alio quàm à
indurata callosaque iam feritat
profecta iudicabimus? factis qu
gloriatur, nollet non facta, pari
aggressurus, non modò incalenti
sanguine, sed quo narrata sunt te
pente & frigido. Et ego hos cre
dam homines, ac non omnibus
quæ vnquam quæ vsquam fuerun
monstris efferatiores?

Atqui hi bellorum sunt tan
quam seminum fructus, tanquam
arboris suę poma, culmi sui gra
num, palmitis sui botrus. auert
qui potes Deus à Christiano pec
re tam barbara. non redolenthæ
columbam suam, non ouem; non
Christum vinculis arctatum, fla
gris concisum, vnoque toto cor
pore

pore vulnere hiantem; non clauos, crucem, lanceam. alia hic sanguis documenta spirat, alia hęc vulnera monita. *Tanquam ouis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente, sine voce, sic non aperuit os suum.* Act. 8. Nos quid agimus? imò quid speramus tam barbara via aliorsum properantes? quid nisi Iudææ præmia, qui imitamur, si non vincimus feritatem? Christe! quàm non sunt hæc exempli tui? quàm sunt Iudaicę crudelitatis? & Christiani dici & haberi volumus tam longè ab illius factis dictisq; positi, tam remoti à columbina simplicitate, ab ouili mansuetudine, à Christi mititate, ad quę nos ipse verbis factisq; prouocat *Ego mitto vos sicut oues inter lupos.* Matt. 10. *Estote simplices sicut columbæ.* Matt. 11. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* alia hæc semita, diuersa à militari, diuersa à nostra. quã vereor ne alio claudatur cœlo, alio præmietur exitu. alia donetur ęternitate:

mone-

monemur enim non in vanū. *dicit se in ipso manere, debet sicut*
Ioan. 3. *ambulauit, & ipse ambulare.* omnis Christi actio nostra fuerit
stitutio, à qua qui aberrauit, aberrauit cœlo, æternitate tota. felix error qui reuocari, qui emen dari, qui corrigi non potest, cum æternitate finitur.

Venio ad bellorum causas, re arduam. neq; enim gratuitò quam bella & ferrum cogitat.

Quis enim furor hostilis vlla
Vellet prior arma mouere,
Cùm vulnera sæua videret
Nec præmia sanguinis vlla?

Hunc metus & conscius scelerum animus, adesa patrimonia, & men à proauis magnum, malique existimulant mores, & sanè ma num incitamentum cùm ve nobilitas per libidinem pocul luxum prodigasque manus gratia & auctoritate esse cœp rit: iisque obnoxia esse, quib si pa

si patrimonia consisterent, formidini essent. atque hinc iam illæ voces mutuo se inhortantes, Emori præstat quàm miseram vitam trahere, aut per dedecus amittere, & alienæ superbię ludibrium fieri. nam quis ferat, cui maiores summo natant pectore, vulgus divitiis superare, & habere etiam quę profundant, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? nec magni moliminis res est. audacia pro armis erit. Et verò in vacuam Rempublicam impetum facere nihil magnum. vacua autem èst, in qua publicè egestas, privatim maximeque in plebe opulentia est. in qua seperatim quisque consilium capit, nec alteri quàm augendę rei suę invigilat pecunię seruus. alia conditio maiorum ætate fuit, neque tam prona ad hæc magna via, cùm animos ad publicè consulendum promptos, non libidini, non ambitioni, non auaritię obnoxios adferrent, publicaque domestici potiora

tiora haberent, publicum ærarium priuato præponerent, easque veras opes æstimarent quas publicæ in opulenta Republica quisq; possideret, priuatim verò nihil extra virtutem haberent, quam quisque pro thesauro & ingentibus gazis possideret. at nunc in tanta morum corruptela facilis ad imperia via est. tantum incœpto opus erit, succedent reliqua.

Ab his initiis expeditum ad bella iter est, neque deesse quidquam potest animo cum primis excelso & ad audendū parato, quem hinc paupertas, inde diuitiarum stimulat sitis, magna audaciæ incitamenta. Iam exhaustæ opes, turpis mendicatio, fœda dignitatis accisio, domestica in vniuersum conuiuia exulare iussa, alienæ mensæ aucupatio, seruitia abacta, vxor inornata, neglecti filij, ipse inglorius, non ingens calcar sunt ad ferocem animū per tribulos & auia, per saxa & rupes, per dumeta & incalca-

ta ra-

ta nemora concitandũ? non validus ignis ad sæua incẽdia excitanda; maximè cùm ad extremá domesticarum rerum quasi desperationem ventum est? grande malũ potens quesi quod aliud, ad immanissima quęque audẽda. Nam cùm eò res redactę sunt, Vt aut miserè vita trahenda sit, & cum perpetua paupertate luctandum vulgi fabulam: aut non nisi audaci facto opes parandæ, quibus dignitatem nomenque tueatur: si in excelsas necessitas hęc mẽtes impegerit, nihil familiarius est quã noua moliri, & audere quæ moderatus exhorreat animus. Nam cùm mortẽ egestati præponant, hanc verò non nisi audaci facto sciant se posse effugere, quãcunq; rem illipellendę idoneã audent. nec quidquã tam immane barbarumq; est ad quod expallescãt aut trepidẽt. quod si cõsequuti fuerint, tũ demũ beatos se arbitrãtur: sin min. vna morte finẽ statuẽt, quã omni egestate potiorẽ ducũt.

Sed

Sed neque talibus socij deesse pos-
sunt, nec audentiæ illorum scintil-
lę, non incendio faces. Magnus
enim in quacunque Republica ge-
gentium numerus, qui postquam
per luxū sua profuderunt; fidem,
probitatem, modestiam, animam-
que ipsam vilia habere didicerunt,
omniaque semper quàm decus ve-
ramque è virtute gloriam cariora
inde linguę periuria, testimonia
venalia, signatores falsi, scriptores
mendaces, probitatis osores, mo-
destię hostes. Quibus cùm libido
luxuriaq; nihil reliqui fecerit, quę-
renda noua luxui materia. quam
cùm in alta pace non reperiant,
commouenda pacata sunt, felicior
nimirum in turbido piscatio est.
Ab his quid speres? nam cùm pro-
diga eos mens comitetur, adeoq;
& crescat, dum quę perfacili perfi-
dia parta, pari largitione profun-
duntur, in æterna egestate sunt
quare & in ęterno bello necessum
esse. hæc enim vna reliqua illis re-
ti

tio est, quà quæ prodigè diffundant facili via consequantur. mors proinde sola malo huic remediũ est, quæ sola profusioni, egestati, & rapinę finem statuit. Tolle has è Republica Deus pestes, has mali seminis noxias herbas, hæc tritico tuo interspersa zizania ignibus deputata, hos maligni fruticis & cauli venenarios flores, hęc impiæ radicis barbara germina, hos nouercalis vineæ labruscatos palmites, hęc spuria vitulamina nimis altis fœcunda radicibus, hæc denique omnis pietatis, probitatis, caltimoniæ toxica. Neque enim hæc alia manu cadere, alia eradicari, quàm tua Christe possunt.

Alium dominandi libido, & immodicæ gloriæ sitis, cùm maximã laudem in maximo imperio poneret, ad arma ferrumque protrusit. nam quid aliud agebat Alexandrum & ad ignota mittebat, cùm orbe toto circumferret arma, nec pateretur sub vno sole subsistere

nullo lassandam sanguine immanissimi pectoris sui rabiem; crudelium ferarum more, quæ plus quàm ex igit fames, mordent: cùm vltimum Oceanum mundiq́ue claustra properaret, indignabundus ad angusta Herculis Liberiq́; vestigia? non immensa crescendi cupiditas? neque ille tum ibat, aut humano more properabat, sed rapiebatur ponderum more in præceps actorum, quibus voluendi finis est iacuisse. ita quod naturæ satis est, homini non est, cùm inuentus fuerit qui concupisceret aliquid post omnia.

Quid Cn. Pompeium externa, quid domestica inire bella, quid illum in Asiam, Africam, Hispaniam per nota ignotaque maria terrasque traxit, quid per tot flumina inviaq́ue propè homini nemorum arentesq́ue campos, & solo pulvere suo macieq́ue notos? quid per Pharsalicos agros, cùm aquilæq́ue virtusque acies starent Roma-

quæ orbi domando satis esse poterant, & sanguis etiam olim matrimonio natus: si non insanus imperandi amor, nomenque Magni?

Quid Cæsarem in sua iuxta ac publica immisit fata? non ambitio & gloria? vnum supra se ferre non poterat, cùm Respublica duos ferret. Gallici triumphi, vix tandem Romano sanguine parti, nimis leuia gloriæ præmia, nisi accederet Italia, & in Africanum Asiaticumque exilium Roma mitteretur, tot locis damnata quot orbe toto imperauerat, nisi Pharsalici campi Romano natarent sanguine, nisi Ibericus ager Romanis integeretur cadaueribus; nisi Respublica in Dictatore Dominum non Consulem admitteret, expleri ambitio non poterat. quanto maiore in omnem posteritatē pietatis gloria cum Camillo, ciuili parandum imperium sanguine exilio posthabuisset, cum eodem,

laude etiam in omnem æternitatem maiore, armatus, si qua patriæ necessitas, si quis extraneus hostis postulasset, rediturus: quantoque maiore cum Coriolano laudem matris imperio, sed patriæ cessisse lacrymis, clarior iam à miseratione, quàm à ciuili sanguine? infra hæc ambitioni monita. nescit illa lacrymas sanguine pati, nescit misereri cædibus fugata, ignorataque huic pietas, quæ impietati litauit, & per quam viam crudelitati strauit. nam quæ fuit cum matrio lacte imbibita, eluit hanc ciuicus cruor, efferamque pro pietate barbariem in seuit.

Quid Marium cùm Teutonas Cimbrosque concideret, cùm Numidgurtham per exsuccida Africæ deserta, per ardentem puluerem, per saxa sole decocta, per tostos arenaribus campos, siluasq; rupibus implexas sequeretur; cùm per Minturnensium paludes, post

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

consulatus raptos ciuili supra Numidarum & Teutonum sanguine maderet? tot illum pericula viarumque incerta, bellorumque dubia appetisse credemus virtutis impulsu? Marius exercitum, Marium ambitio ducebat, & per patriæ cineres raptabat. quanto prudentiùs cum Scipione exiliū, cum Catone mortem delegisset. sed nimirum ambitioni patria peregrina est, ciues hostes sunt, suorum sanguis Baianæ thermæ, quibus immanis hęc bellua puluerem detergat omnis humanitaris, si qua fors reliqua à patrio lacte supererat.

Quid Sullam in ciuilia rapuit bella? quid Romam ciuium suorū natare sanguine, proscriptionibus, vinculis, exilio coëgit? si non æmula Marianis trophæis ambitio, efferaque sanguinum sitis? nimis mite ambitioni erat peregrino patriam madere sanguine, nimis tritum hostili lassari cadauere; nisi ciuium suorum fatigata cædibus infe-

lix ingemisceret genitrix, non fi
litatum ambitioni foret. & quis fi
ret imperium Sullę? angustis Ital
terminis clauditur, proscriptio
bus orbis implendus erat, vtn
lus iam angulus imperia ignor
ret.

Atque hi omnes similesque quo
recensere longum foret, cum infe
stis omnia signis concuterent, cùm
agerent ante se agmina victarum
gentiũ cum regna triũphalib' pla
stris circumferrent, turbinum vo
uebantur more, qui ipsi ante om
nia voluuntur, eoq; maiore impe
tu, quo nullum ambitioni frenum
est. rapitur enim ipsa prior cur
incursu horrentium fluctuum mo
re, qui antè colliduntur quàm col
lidunt, & repercussa, magis etiam
in se sæuiunt. Quanta hi intus bel
la fouent animo? quàm validis
gantur cogitationum exercitibus
quanto armorum fragore concur
rantur? intus sæuiora ptemunt bell

ascen

ascendentium inuicem, mutuoque se prementium & interficientium cogitationum, curarum, & anxietatum. nulla hic ac ne in alta quidem pace pax sedet, nullus sine ferro somnus, sine tympano ac tuba nox est, dum alia ex aliis nascuntur nouasque spei, timoris, gloriæ aut ignominiæ causas suggerunt, fœcunda malorum matre ambitione perpetuo in felici partu soboleque suos locupletante. æternùm miseri, quibus nulla animo quies, sed æterna collisio est, maximo persimiles ęstui cui nulla statio est.

Ac licet opum & glorię ferè causa bella inter mortales sint, plurimùm tamen his libertas prætexitur, quam nemo paullo generosior nisi cum anima simul amittit. Necessitas etiam, fidei ac religioni tuendæ. pro qua non fortunas modò, sed & animas ponere pulcrum; illique hæc sanguinum & animarum libamina tanquam anathemata figere magnum. neque vlla

res alia pronior ad excutienda im-
peria, nouanda, turbanda, quàm
vbi religio prætexitur, sanctum
nomen praue rei. vbi pietas &
Deus magna nomina præfiguntur
improbæ voluntati, maximè apud
plebem. vulgò enim ad hæc rapi-
mur, & audiuisse satis est. quæ no-
minibus his obteguntur quàm no-
runt? quàm rari excutiunt? quàm
pauci pectora recludunt labiorum
horum? os ferè contuemur & mé-
tem verbis metimur. neque quem-
quam in re salutis mentiri velle,
vbi pro anima & æternitate stan-
dum, arbitramur. accedunt voces
faces Reipublicæ, regnorum ful-
mina. sibi vnumquemque stare &
cadere. liberos nos naturam con-
didisse, mancipia nunc paucorum
dominandi libidine factos, qui
non corporibus modò, sed & ani-
mabus vincula iniiciant. neque
vlla re libertatem magis elucere,
quàm si quod cuique optimũ, hoc
etiam sequi liceat. hanc enim de-

mum

mum libertatem esse, amplecti quod voles: reliqua de seruitute, de carcere, de manicis & compede esse. speciosa nomina. & quisquam aliorum seruitutem & dominationem sibi concupiuit, qui non eadem vocabula vsurpauit?

Verùm quis paullò oculatior non sentiat inlatentes pestes? tange hanc venam, & deprehendes quanta febris intus ardeat, ruinam mox datura. sed neque genis aut fronti crede. mentiuntur: ne ludentibus oculis. intus venena latent. Nam quæ, rogo, illa Respublica erit, in qua voluntas cuiq; pro imperio est? imò quę familia stabit in hac vaga libertate? nullum discrimen statues inter seruum & dominum, filium & patrem, maritum & coniugem, inter Reipublicæ Principes & plebeiorum vltimos? aut omnes é plebe, omnes principes? aut imperia partiri placet in omnes, parentiam in nullos? nam quis obsequetur, imperanti-

bus omnibus? Quod si imperia in omni bene constituta Republica valere debeant, & designandi qui imperent, & qui obsequantur, iam tollatur necesse libertas illa. sequi quod volet quisque. magis hoc etiam locum habet in fidei rebus, in quibus errasse, æternum est, in quibus etiam falli pronum est. imus enim plerique in religione tanquá per obscurum noctis, maximè cum destituti scientia, & sæculorum cognitione. nec quidquam præcipitio libertate vicinius in tam densa non ratò caligine: vt prodigium sit non labi, non pedem offendere in tam alta nocte. Senserunt hoc omnium seculorum primi, etiam post ætatem totam studiis extritam: quo magis quicunque ex plebe, qui à studiis & omni literatura remotissimi, sæpè etiam hostes. ita ferè ignorata odisse iuuat. erit proinde effusa hæc libertas prudenti consilio refrenanda, ne Rempublicam secum trahat in perniciem, cùm

nulla

nulla res euertendis regnis Religionum varietate oportunior sit. ex hac enim ingentes animorum dissensiones, & præferuida partium studia videbis, efferatasque in propinquo sanguine & agro decursiones sanguine signatas. scelera namque ignorantur cùm religio præfigitur, nullumque iam facinus sub illius aquilis, nec quidquam tam felleum quod non miteſcat sub hoc fauo, latentque sub his electibilibus condimentis nominis magni peremptura venena. fuge hunc colubrum. licet torpeat; vbi incaluerit, nocitura sparget, nec in quemquam validius quàm in hospitem suum, potentius etiam in benigniorem & blandientem. cecinit in hanc sententiam de leonibus Boëtius,

Quamuis Pœni pulcra leones
Vincula gestent, manibusq; datas
Captent escas, metuantque trucem
Soliti verbera ferre magistrum.

Si cruor horrida tinxerit ora,
Resides olim redeunt animi,
Fremitusque graui meminere sui,
Laxant nodus colla solutis,
Primusque lacer dente cruento
Domitor rabidas imbuit iras.

Et quis finis erit credendi, si libertas cuique sua stabit? quantæ religiones, quanti Dij enascentur? singulis enim pugnantibus religionibus pugnantes necessariò Deos concesseris. neque enim ab vno pugnantia veniunt, & simplex veritas est, aduersantia ignorat. quid reliquum, nisi vt in tanto pugnantium Deorum numero, febri suum cum veteribus Deum, suum pallori, cloacæ & sterquilinio suum, adulteriis mox & odiis, rapinis sceleribusq; numina sua statuas? nescio an non cum Deorum fœcundissimis Graiis, grandæuos hos semperque canos, barbatos, imberbesque alios, pueros, iuuenes, aligeros, atricolores, claudos, ouo genitos, alternis viuentes, similaque

que propudiosa prodigia, & somnialia deliramenta daturus sis. quis enim vetet, quod olim vidimus, in tam prodiga libertatè Deos sibi fingere & colere? imò in tanta impunitate quidvis credendi, sequẽdi, non deteriora nasci possunt? nam vbi neque metus vltrà neque pudor, quid non audeat soluta mens legibus libidiniqúe suæ relicta?

Atque hęc ferè bellorum initia, quæ à minimis ac nullis propè initiis ad ferociſsimos nõ vna in gente exitus deuenere. & ab vno alteroque initia sæpè ducta orbem totum in arma & sanguinem traxerunt, dubiis etiam non rarò initiis & auctoribus, vt vna scintilla eaque permodica, regna non semel arsisse audierimus. quæ quamdiu quasi velata cineribus ac sopita in paucorum animis hęrebat, nullo negotio restingui poterat, & mederi malo. at vbi erupit, & non vnam prouinciam comprehendit,

frustra furibundam & in igne suo exultantem restinguere conamur. nam vbi paucissimis hisce & in sola audacia & desperatione spem ponentibus, omniū ordinum corruptissimi, inopia flagrantes, scelerumque conscientia exagitati, quibus quies in seditionibus, in pace turbæ sunt, socias manus scelerum iam magnitudine pares coniunxerunt; sola plurimū aut alterius partis aut vtriusque ruina extingui possunt. atque hinc ferè ciuilia bella, aut partium alterius internecione aut infami concordia ponūntur: medium in his reperire, vbi consanguineus exarsit sanguis, immistique agri miscuerunt odia, difficile.

Inter Reges aut Principes, pauca capita, exsaturatis odiis, aut bello fatigatis facilis ad pacem via est. Mors hanc non raro Principis vnius reperit; grauis etiam à vicinia hostis in alterūpropensior, publicique ærarij exhaustio, & æs alienum graue,

graue, aut partium per matrimonia fœdera. Si propinqua regna? damna mutuo illata, vastatus ager, incendia latè vagata, direptiones, cædes, oppida castellaque euersa, vnde graues suorum querimoniæ. sin remota? fastidium à longinquitate natum, metusque in alieno aduersarum rerum à vicini Principis potentia excitatus, ne si quod grauius damnum acceptum, alienæ à vicino cupiditati strata semita sit. nam quis oblatum vicini spem regni deponat? quis non inpropinqua regna armis fracta, paratum ferrum habuit? nec longè causæ sunt. nunquã defuerunt regna petenti: ipsumque nomen & adiacentes agri sat magnam causam dederut. Si per militares duces, non per ipsos Principes bella administrata, terror in secundis successibus à potentia gratiaque magnam ponendorũ armorũ causam dederunt, neq; exempla in Oriente & Occidente desunt, emissos à Regib⁹

ac Imperatoribus duces, hoste superato, Reges Imperatoresque rediisse. adde vix euenire, vt vtraque pars paribus aut odiis aut cupiditatibus exardeat. & ferè quanto vna in ferrum procliuior, tanto in pacem altera. iam cùm plurimùm apud Principes vnus aut alter omnia possint, non magno conatu vnum hunc alterùmue pretio flexeris. quod vbi euenit, trita ad reliqua via est. inter Christianos denique & quibus vna fides, Pontificia auctoritas precesque plurimùm semper valuere.

At vbi domestica arserunt bella, pulcrumque libertatis nomen plebeios animos exciuit, tot iam duces, tot Reges, quot capita patimur. omnium autem libidinē explere impossibile, à paucorum voluntate res non pendent. Quòd si quis inter factionum duces benignior, si in pacem pronior sociorū metu, quibus quia tumultum ē tumultu, bellū ex bello serere vtile, etiam

etiam iucundum est, se continet. si quis quòd affatim biberit, tutiorque partorum, in pace quàm bello possessio videatur, meliora cogitata premit, ne si quid pronioris in concordiam animi ostenderit, ab ipsa potentia periculum adeat. ita cùm nemo tutò se alteri credat (ingens enim inter improbos diffidentia: neque facilè improbitas coalescit in bono; ad damna sponte volvitur, vt nihil opus sit impulsore) plebeiaque indignatio sanguine ferè luenda terreat; solùm verò, tantam tot difficultatibus implexam rem aggredi, temerarium sit, æterna bella sunt. maximè cùm non ignoret nihil publicè promptius esse, quàm si quid benevolentioris animi vulgaverit, proditæ libertatis nomen in caput suum accessere, nullo publico bono, maximo suo damno, cuius rei cùm non vnum exemplum sit, consilia apud se habet.

Reperies etiam inter hos complures

plures qui cum ingentium scelerũ conscientia oppressi, non audiant se suaque aduersariis, quocunque iurato fœdere interposito, credere è suo iudicio reliquos metientes, à desperatione animos mutuantur, bellaque bellis innectunt. neque enim tales tantis sceleribus odia prouocata poni posse arbitrantur, perpetuaq; facinorum formidine concussi alia omnia quàm pacem meditantur.

Sunt alij qui latrociniis nobiles opes suas Ecclesiæ in primis opibus in immensum auxerunt. hos malè partorum restitutio, veterisq; gestatis timor retrahit à melioribus.

Multi etiam dominandi libidine perstant in sententia. priuatim aliud assuetis viuere durum; indignitate, positis semel armis difficile. quare bella fouent augentque, perpetuaque huic flammæ ligna subiiciunt, faciles ad causas, nouasque prioribus potentiores inueniẽ-

inueniendas. quid enim non adinueniat ambitio, & gustata semel imperandi maiestas, & dulcedo in animo honorum cupido, & nihil aliud quàm imperia cogitanti? non animā, non Deum, non incertavitę non felicem infelicéve æternitatē. omnia enim hæc illi in honore & imperio sunt, fratres, sorores, parentes, libri, coniux, diuina humanaque omnia, sacra prophanaque venalia huic sunt, in cuius semel animo gloria pro Deo insederit. ingens stimulus ad omnem barbariem.

Plerique etiam solo propè præsentium odio, nouarumque rerum studio ad arma descendunt, suis quoque periculis lætabundi. id adeo plebs fere vbi ducem nacta, videtur facere. In omni enim Republica, quibus aut opes aut honos nullus est, maioribus inuident? vetera odere, cùm etiam bonarum rerum assiduitas fastidiū pariat, exoptant ergo noua, odioque suarum

rerum

rerum mutari omnia, seditionibusque misceri gaudent. & est ea conditio illorum, vt maior semper illis spes in turbidas, quàm in alta malacia sit. Magnum etiam ad hæc incitamentum, cùm inter conuiuales epulas grata referunt narratione, quãti ex infima olim plebe, è vili sago è lixarũm & calonum grege Senatores Peincipesq; facti, quanti potentes & regio propè victu & cultu ætatem transigentes. sibi quoque, si victoria in armis foret, talia speranda. sin minùs, melius tamen esse vitam in hostili ferro ponere, quàm pecorum illam more per egestatem & seruitutem trahere. muliebris ingenij esse, viuere & seruire; virorum, imperare aut mori. mortem inter ferrum glorioſam esse posse, in pace ingloriam fore. ingentem deinde spem præmiaq; certæ miseriæ præponenda. an fòrs arare terram, & exspectare annum malint? quãto generosius vocare hostem,

stem, & vulnera mereri? quanto sanguine parare, quàm inerti sudore? cogitandũ sat amplam mercedem in victoriæ spe fore. quin & in morte fortiter obita quacunque demum causſa clarum apud posteros nomen fore. cùm nemo paullo generosior hostili licet animo, ad magna nihil præter fortunam defuisse narraturus sit, animosque ingentes, promptamque ad aspera iuxtà ac mollia manum. quin & optimus quisque & tenacissimus æqui bonique pro Republica similes animos optabit. vt si damnent causſam, probent mentem, & vel exitum defuisse tantę audentię, aut prudentiam in delectu, aut non dignam tantis animis materiam repertam. hinc admirationes & pro virtute ac Republica vota. metus & trepidatio, & totis non rarò regnis consternationes, lacrymæ & preces, & non vltimorum suspiria terroribus permista. Et quáto generosius audisse fortè etiam

in

in mala cauſſa, quàm ignauam in bona; & hiſtoriæ non vnam impleſſe paginam, quàm per ignotum puluerem æternùm rapi? tantùm audendum; ferociſsimis quibuſq; conatibus plurimùm euentus reſpondere. neque quidquam magnum à pacata ſemper mente. à turbida inter temerantes auſus magna ſolere naſci. bene illum ſenſiſſe qui non niſi à mota mente magna ſperanda monuit. humilia ingenia ferè repunt, & in ignaua modeſtia ſua ſeneſcunt. illa magna ſunt, non vno philoſopho teſte, quæ dementiæ atque adeo furoris aliquid habent. hęc enim audendo ad ſumma non ſemel deuenerunt, reliquis inter viles humilesq; myricas conſiſtentibus.

Atque hęc ſimiliaque nouandis conuenientiſsima rebus non vacuis animis accepta. nec ſegniores ore manus, cùm fortibus plerumque verbis facinora innaſcantur fortia. inde iam animus bellorum

& san-

& sanguinum spirans, flectíque ac parcere nescius, non incendiis, rapinis, cædibus expleri, nulloque satiandus sanguine, non si totis Oceanus ostiis sanguinem vomat. mitia hęc sunt, si cum illa prouocata per hæc verba rabie componantur. efferam enim mentem, vbi semel ferociam totis imbibit faucibus, nulla proluent maria; ludet in domestico iuxtà ac peregrino cruore, hauriétque illum vt auida aridáque tellus multorumque mensium æstu exsuccida torridaque fœcundũ imbrem, vt emarcidæ plantæ irriguum rorem. adeoq; quamdiu imperia, & vicinus speratus ager, tamdiu sanguis. si vnum illi orbẽ subieceris, alterũ quæret, & iam

Nequidquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras.

Angustior enim hęc ambitioni est. maria tentare suasit, crispisque in primis illius torosisque erroribus, tanisque spumosisque fluctibus delecta-

delectata, cùm alluderent terręe labentes fluctus, mutuoque se resorbentes: exinde si quid fòrs vltra Oceanum nouarum terrarum tegeretur, temerario ausu tentare elementum placuit.

Inde furor ventis, indignataque procellæ,
Et cœli fremitus, & fulmina plura Tonanti.
Ante rates, pigro torpebant æquora somno,
Nec spumare Thetis, nec spargere nubila fluctus
Audebant. visis tumuerunt puppibus vndæ.

Neque tot exinde acies toto consepultæ æquore, tot auri gemmarumque defossi thesauri ab incepto terrent; quin mage cum periculis toties delusa cupiditas & audacia creuit, quasi non placeant opes quę sanguinem nesciunt, gratiusq; multorum mortibus veniat aurum. Inclama quantum voles, & ambitioni è portu decantatum il-

lud
ture
nib
Quid
tate a
naris
Con
Qui
Quid
& fall
decur
alio ca
Ger
Sum
luc

lud denuntia, Quò properas perire? quô

Non tangenda rates transiliunt vada?

.... Nónne vides, vt
Nudum remigio latus,
Et malus celeri saucius Africo,
Antennæque gemant, ac sine funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor?

Quid è tanta periculorum vicinitate aurum & mox perituram venaris gloriam, dolato

Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor?

Quid tam dubio exitu ad tam vana & fallaci plurimùm spe ludentia, decurris ad regnorum incerta, ad alio calentes Sole terras? quid ad

Gemmas & lapides, aurum & inutile
Summi materiam mali?

Rident etiam hæc monita tanquam pauidi & fœminei pectoris documenta. pulcrum nimirum siccis oculis præcipitem Africum decertantem vidisse Aquilonibus, & tristes Hyades & rabiem Noti. tam altè enim eos prolatandorum finium aut opum libido harpagatos tenet, vt nulla pericula, nulla sæuientium ventorum terreat rabies, non si à sedibus imis

Vnà Eurusque Notusque ruant, creberque procellis
Africus, & vastos voluant ad littora fluctus.
Præsentemque viris intentent omnia mortem.

Non cum è sociorum numero

Hi summo fluctu pendent: his vnda debiscens
Terram inter fluctus aperit,
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.

Aut denique

Laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrẽ, rimisque fatiscunt,

Innol-

Inuoluunt qúe diem nimbi, & nox humida cœlum

Solemque eripit, cæcisq; quotquot nauigant inerrant vndis, mutuoque miserando errore voluuntur rates, fluctus, vectores. lenia enim hæc ambitioni, & tanquam in datario pilæ iactu infantiæ lusus. mirum si non cœlum ipsum petimus stultitia, manibusque magnum rescindere Solem aggrediamur, donec cum Titania pube

Fulmine deiecti fundo voluamur in imo.

Ita nullus locus ambitioni clausus, nulla terrarum spatia, nullæ Syrtes aut voragines, scopuli, Charybdes nullæ, breuia saxaq; nulla. præmia proposita sunt? imus audentes nequidquam infrendente Oceano. natant elemento toto naufragæ opes, validarumque classium tabulæ promontoriis insulisque omnibus fluitant? per medias ludibundi nauigamus tabulas. Rubent maria sanguine, lentataque cadaueribus

ribus malaciam mentiuntur. glorioſius per hanc Oceani dorſum radere, iratosque illius fluctus minaſque ſcindere. idque lintre ſæpiùs quàm rate, vt non immeritò cecinerit vates,

Audax nimiùm qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terraſque ſuas poſt terga videns
Animam leuibus credidit auris:
Dubioque ſecans æquora curſu
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortisque vias
Nimiùm gracili limite ducto.

Optanda hęc pericula & vltrò amplexanda ambitio & cupiditas fecere. Hinc æſtu & frigoribus peruſta ſolisque ſideribus, ſæuùm vrentibus Aquilonibus, immaniſsimiſque nota feris enauigamus maria: hilareſq; non iam roſtris iratos proſcindimus fluctus, ſed ſecuribus pergelidata æquora, ratibus viam ſternimus, niuibus, glacie, feris quaqua ſepti, præmio lucro, gloria, ambitione. Mirum non noua quapiam

piam Dædalæa manu fabricari naues, quę per glacie constrata maria ingenioso ausu chalybeis decurrant rotis, vento administro, aut illo posito, contis remorū vice protrudentibus: vt non Oceanus tantùm natiuo fluore suo, sed frigore densatus calcanda terga ptębeat cupiditati famulabundus.

Nam quid iam erit inausum ambitioni? tot non naues, sed terræ naufragium passę; & vbi altissimi quondam montes nūc maria sunt. Hierapolim, Delon, Rhodon & Coon insulas multis cum hominū millibus pessum abiisse legimus: memorat Plato maiorem Asiæ & Africę partem Atlantico mari ereptam; & vis vndarum Lucaniam Italię abscissam in Siciliæ nomen relegauit. quot vrbes, regna populique in Oceano quęruntur? & natant continenti suo auulsa nemora; ingluuiemque voraginemque sęuissimi elementi nulla non imperia senserunt. & nos leui tabula

pronocamus indignantes secari fluctus, arrogantia clauum tenente, cupiditate remige. Et tibi minora Babylonio conatu tentare videmur, cùm arrogantiam cœlo minitantem dispertiuit in linguas Deus? & minorem dexterã expectamus? aut fulmen merebimur Sodoma mitius tardiúsve?

Et interim inter hęc rapimur trahimurque miseri ad alterius sæculi iusta, ô nimiùm! tribunalia. trahimur inermes nudique feralis sententiæ miseranda capita, infelicisque æternitatis hostiæ infelices. pro sanguine, inter sæuas carnificum manus, nullo æuo mitigandas, perennaturis ignibus cruciandi. Hic animorum & efferatarum mentiũ exitus nullis imbribus aut Oceano purgandus, nullis oculorum fluminibus diluendus. ô vbi cogitationes nostræ! è medio, adeoque ne inchoato quidem non rarò rapimur cursu, è cogitato scelere pura adhuc manu; è meditato facinore,

nore, integro licet corpore, ad alterius æui immitia rostra, in quibus ferocissimus quisque & ille incentor popularis animi, ille orbis domitor, nouarumque terrarum circumspectator, toto contremiscat corpore: vt nec virgulta patentibus quaqua campis, ruentibus vndique ventis, tot tamq; variis concutiantur motibus. Hic ille quem in alieno sanguinem vt medio pisces mari vidisti ludibundum, pallens pauensque ad nil-profuturas decurrit lacrymas, ad muliebria arma. Hic ille ciuilis incentor belli, exitialis flammæ facula, ignem cædesque spirans, prædas sanguinemque eructans, latrocinia deuomens, vrbium villarumq; viduator, agrorum barbarus depastor, scelera sceleribus farciens, omniumq; sator criminum, ad supplices decurrit preces, ad non valitura vota: aduoluitur genib⁹ nullis suspiriis mitigandis, prosternitur pedibus nullis submissionibus flectendis, & ad

vltimę denique desperationis blasphemas descendit voces.

Flectamus hic oculos ad omnes propè bellis & imperio claros, videamus quàm pauci ficca morte, quàm pauci sua deserint. Quàm propè nullus cui non parata ruina, proculcatio, carnifex. nec magnis ista momentis diuisa. horę momentum interest inter triumphos, imperia, & aliena genua. Crœsum cogita qui rogum suum & ascendit iussus & extingui vidit: Iugurtham quem Roma intra annum quàm timuerat spectauit: Prolomęum Africę Regem, Armeniæ Mithridatem intra Caianas custodias populus Romanus vidit. Quid Sp. Melio fauor amplissimæ ciuitatis, quid Gracchis ani Scipionis memoria, quid Druso sanctissimi penates, quid Saturnino vis sacrosanctæ dignitatis auxiliata est? Scipionem audiamus. *Si Scipio Romæ deesse debet, aut Romæ libertas, nihil derogatum volo legibus. Vtere beneficio*

meo

meo patria, causſa libertatis fui, ero & argumentum. exilio, ſi pluſquam tibi expedit creui, verto. Factum vt dixerat. dedit inuidiæ locum, & Linternum ſe recepit. in hoc angulo ille Charthaginis horror, cui Roma debet quod tantùm ſemel capta eſt, terram ſubigebat. Eiuſdem etiam iam antè Carthaginis terror Regulus quàm infelici exitu triumphos claudit? reſectis palpebris, dolio præacutis in orbem ſtimulis prominẽtibus vigilia & vulneribus cadit. de Pompeij capite poſt orbem victoriis circũmactum, poſt Magni nomen, non pupillus & ſpado tulere ſententiam? non de Craſſo crudelis & inſolens Parthus? nihil hic iuſiurandi ſanctitas, nihil valuere preces. Num Cæſarem loci ſanctitas aut maieſtas eripuit, aut deterruit percuſſores? iacet orbis domitor poſt octingenta oppida vi capta, gentes trecentas ſubactas, ſigna cum tricies centenis millibus diuerſis temporibus col-

lata, XXII. confossus vulneribus; Senatu spectatore, laudatore. Non

Ille Iugurthino clarus Cimbróque triumpho,
Quo victrix toties Consule Roma fuit.
In cœuo Marius iacuit, cannáque paluſtri?

Non Q. Catulus Cimbrici triumphi Marij socius mori iubetur récenti calce cubiculo illito, multoque igne excitato? tantum illi nocuit in victoria socium fuisse. Non Seianum quo die eum Senatus deduxerat, populus in frustra diuisit? è quo, cùm tot flumina possideret in suo orientia, in suo cadétia quot pauci nauigassent, nihil superfuit quod carnifex traheret.

Galbam & Pisonem quis ignorat? contis affixa capita inter cohortium signa, iuxta legionis aquilam, certatim ostentantibus cruentas manus, qui occiderant, qui interfuerant, quíve veré, quíve falso, vt pulcrum & memorabile facinus

cinus iactabant, populus vidit. Plures vigiuti supra centum libellos præmia poscentium Vitellius reperit, & interfici imperauit: non honore cæsorum, sed tradito Principibus more, munimentum ad præsens, in posterum vltionem. Neque ætas deuexior Galbam, non iuuencus Pisonem, non nobilitas vtrinque, sanctique mores, vitaque in quâ nihil præteritum meritò excusandum haberent, à plebeio ferro reuocauit. dignus vterque imperio, licet alieno quàm suo Galba felicior.

Neronis efferos mores, ferale pectus quæ non loquitur pagina? quod monstrum simile, libidine sanguineque conflatum? post nobilitatis cędem tanquam inter Circenses & gladiatorios Amphitheatrales ludos, post vxores Octauiã & Poppæam, etiam mater inuerecundo iacet ferro, Romaq; omniũ regnorũ spoliis diuitata cinis audit &

fauilla, & triſte illud, Fui; inter fruticeta & vepres per anguſtias effoſſæ cauernę in clientis cellula ſalutem ſperat. Habes de hoc illud Boëtij,

Fratre qui quondam ferus interempto,
Matris effuſo maduit cruore,
Corpus & viſu gelidum pererrans,
Ora non tinxit lacrymis, ſed eſſe
Cenſor extincti potuit decoris.

Otthonem quis neſciat? illum mollẽ & muliebri ornatu inter ſtupra & comeſſationes, & fœmineos cœtus dum priuatus ſtaret, fortem & indefeſſo imperio arrepto. Lorica ferrea, iterante ſigna pedeſtre, horrido & incompto habitu, planeq; famę diſsimilis, dilatæ voluptates, oſtentatæ falſę virtutes, ac vitia mox redikura. Niſi qui per durorum ceruices viam ad imperiũ ſtrauerat, per latus ſuum Vitellio aperiret.

Quis inexplebiles non audiit Vitellij libidines? cùm nouies mil-

lies

lies sestertium pauciſsimis manſibus inter irritamenta gulę ſtupentibus ab vtroq; mari itineribus interuerteret? Et hic eſt ille Imperator fortunæ luſus, cui à Romano Imperio, deligatę poſt terga manus, iniectus cer icibus laqueus, ſeminudus aqud Gemonias minutiſſimis ictibus excarnificatus vnco tractus in Tiberim deiicitur.

C. Cæſarem Caligulam imperij portentum quis non legit? & templum ſtetit Latiali huic Ioui, ſacerdotes, hoſtię, phœnicopteri, pauones, tetraones, Numidicę, Meleagrides, Phaſianę, quę generatim per ſingulos dies magno huic Numini immolabantur. Videohunc noctibus plenam fulgentemque lunam prouocantem in complexus, interdiu cum Capitolino Ioue ſecretò fabulantem, accipientē prębentemque aures: atque hic Tiberij fratris cędem, Silani ſoceri fauces nouacula demeſſas, poſt nobilitatem caueis coërcitam, aut ferra

dissectam. Post notissima illius: *Omnia mihi & in omnes licent. Ita feri vt se mori sentiat. Oderint dum metuant. Vtinam Romanus populus ceruicem haberet vnam*, vni nimirum ictui pareutem. post totum illud Tiberij Cæsaris vicies ac septies millies HS non toto vertente anno absumptum, sex & triginta concisus vulneribus iacet, cùm triennio & decem mensibus imperasset. sæculum credas, si scelera intuearis, nefandorumq; facinorum numerum ineas.

Quid inhæreo his tam funestis diutiùs? carptim decurram infelices magnorū bellicaque laude clarissimorum exitus.

Veneno periisse domestico, & inter amica aut medica pocula, conuiualesque mensas narrant Historici Alexandrum Magnum ab Antipatro, Tiberium à Caio, Claudium ab Agrippina, Britannicum à Nerone, Traianum, L. Verum, Constantium à suis. Spontaneo

perisse

periisse veneno volunt Themistoclem taurino sanguine, Hannibalem apud Antiochum, Diocletianum Constantini metu. Hostili veneno Philopœmenem, crucique suffixum cadauer, publica etiam damnatione carnificisque manu Phocionem Athenienſem pretio pro veneno carnifici numerato, ita illum nec gratuitò mori licuit, Aratum verò Philippi imperio.

Iaculis confixus iacet Alcibiades cùm ignem effugisset, Valens in tugurio Gothicis flammis periit; lapidibus Nicias Athenienſis nequidquam Syracusanis supplex; tegula Pyrrhus Italiæ terror, & quidem mulieris manu, à tam imbelli in vrbe Agis dux tantus: inter vincula publici carceris falsò proditionis accusatus Miltiades Athenienſis, in hostili custodia inter vincula & catenas Demetrius Antigoni filius ab exercitu Seleuco proditus; iniectu puluilli cùm lentiùs venenum

prope-

Properaret Tiberius & Commodus Cęsares. Strangulatus Valentinianus Gratiani frater Arbogasti fraude, & Lacedęmoniorum Rex Agis cum matre & auia suorũ perfidia. Eadem inter vincula passus Æmilianus in Ægypto, & Valerius Maximianus Constantini iussu. laqueo etiam Gordianus senior vitam cum imperio abripuit; & Decentius Cęsar Magnentij frater apud Senonas fascia pro laqueo vsus; Alexius iunior Comnenus à Murzyphilo faucibus compressis. Venam soluit Quintillus decimo septimo imperij die Augustus à Senatu renuntiatus.

Ferro suo perierunt Antonius in Cleopatrę sinu, Brutus post Cæsaris necem, Ottho apud Bebrianum, Nero in Phaontis liberti sui suburbano, Ingenuus in pannonia, Magnentius post infelicem cum Constantiuo puguam. & ante hos Vticę Cato.

Iam suorum ferro quanti? Romulus

mulus à Senatu discerpitur, Coriolanus à Volscis trucidatur, Sertorius à suis, Pompeius Aegyptio Romanoque cădit ferro. Sanguine suo Cęsar Senatum temerauit, Domitianus domesticis vulneribus septem, Pertinacis caput conto suffigitur, Didius Iulianus gregarii militis manu inter fœmineas comploratione Senatus imperio: M. Antonius Bassianus Martialis centurionis ferro: Opilius Macrinus cum Diadumeno filio Bithyniam funestat: Heliogabalus orbis portentum in latrinis ad quas confugerat cadit: Maximini filiique capita hastis infixa & in ludibrium circumlata: Maximus & Balbinus anno imperij primo vestibus spoliati trucidantur, Philippus Arabs Veronæ imperium cum vita exuit, medio capite supra dentium ordines cæso; Aemilianus à suis cæsus, idemque euenit Valeriano & Galieno apud Mediolanum, Regilliano in Illyrico, Trebelliano in Isaurico, Celso

in

in Africa, Saturnino in Oriente? Aurelianus notarij sui improbitate cadit, Annius Tacitus militari tumultu, T. Annius Florianus pari exitu imperij mense secundo, Probus cùm Persicum bellum appararet, Numerianus infido Arrij soceri sui ferro; Carinus Tribuni sui, Dalmatius Constantis patruelis factione, Constans Magnentij, Siluanus octauo & vigesimo imperij die à suis, Gratianus Valentiniani filius insidiis Andragathij periit, Constantinus Heraclij filius cum Constante filio, & Iustianianus cum filio Tiberio suorum conspirationibus, Nicephorus verò Phocas in lecto à Ioanne Zimisce.

Iam hostium imperio & gladio quanti ceciderunt? Eumenes inter Antigoni vincula, Maximus in Theodosiana custodia. Valentinianus Theodosij consobrinus ab Ætij militibus in campo Martio procubit, Auitus in Ricemeris custodia. Orestem Odoacer Placentiæ iugulari

gulari iubet. Nec finis Cyro, donec orbatæ ad Thomyris veniret vtrem.

Cum exilio imperio pulsos habemus Alcibiadem, Themistoclem, Cimonem, Timotheum Atheniensis, Leonidam Spartanum, Tarquinium Romanum, Dionysium Syracusanum.

Oculis etudelem in modum privatos accepimus Philippicum Bardanium ab Arthemio, Arthabasdum â Copronymo, Nicephorum Constantini quinti filium à Leonis filio Constantino, etiam lingua, eademq; hunc passum eodem die anno voluente quinto quo in Nicephorum desæuierat. Michaelem Calaphatem post oculorum effossionem in exilium pulsum, Bryennium & Nicephorum Basilacium ab exercitu Nicephori Botoniatis, Nicephorum Diogenis Imperatoris filium ab Alexio Comneno: eadem tulisse Isaacium Angelū Comnenū à fratre Alexio;

& an-

& ante illum Andronicũ Comne-
num, altero oculorum effosso, asino
insidere iussum, frustatimque à mu-
lieribus concisum: pariaque tulisse
Murzyphilũ præcipitio addito fœ-
daque in minutissima frustra dila-
ceratione.

Maximum, cuius opera Ætius &
Valentinianus cæsi, membratim
concisum Tiberis deuexit. Gallus
Constantij Constantini Magni fra-
tris filius reuinctis post terga ma-
nibus securi subiicitur: Basiliscus
cum filio fame & frigore enectus;
Zeno viuus terræ reconditur, Mau-
ritius cum vxore liberisque carni-
ficis manu cadit. Eadem passus
Phocas Heraclij iussu, manibus pe-
dibusque truncatus. Leontius, qui
amputatis naribus Iustinianum in
exilium miserat, equis raptatus, ca-
catusque Iustinianeis pedibus, mi-
nutatim concisus; eodemque mor-
tis genere Absimarus Leontij vi-
ctor mulctatus: Thomas etiam
Michaële Traulo manibus pedi-
busque

busq; crudeli in purpuram exemplo resectis.

Hic exitus primorum ferè orbe bellatorum, Imperatorumque non postremorum vt reliquos extra Orientis ac Occidentis imperium, taceam, quos longum foret recensere. Sed neq; diutiùs putani hanc paginam infelici Regum exercitumque ductorum exitu funestandam. In omni ferè gente paria aut non inferiora feritatis documenta reperies. Hinc non in vno populo viginti, triginta etiam Reges bello omnes claros ferro cecidisse inuenies. Apud alios etiam, paucos morte sua desijsse, sed in hostili plurimùm domesticóve ferro animam posuisse. Miseranda conditio, & antè lacrymis quàm calamo diluenda. Vt exclamem meritò.

Magnis fallax fortuna bonis,
In præcipiti dubioque nimis
Excelsa locas.

O dolor! ô barbarum efferumque ferrum, inferis non cœlo cusum!

igni-

ignibusque deuouendum capit
quod primum ausum fuit armare
manum, magis etiam cùm in viros
Principes, exercitus ductores, Re-
ges, Imperatores! ite mei oculi,

Lacrymas lacrymis miscere iuuat,

Voces fundite querulas, lamenta
cadant, madeant genæ. & vos fi-
dite mortales robori, fidite regnis
tam fragili innitimur, tam dubio
labilique infigimur gradu. Effera
vna manus parata mori quid non
potest? quid non excitus dæmone
furor? liceat hic mihi,

Collecta vitia per tot ætates diu
In nos reduntant, sæculo premi-
mur graui.

Quæ non bella vidimus, sensimus?
ô Belgiũ (orbis, abi inuidia, Gem-
ma, Sol, Oculus!) quantorum po-
pulorum strage fœdatum iaces?
quot gentium ferale monumentũ
factum? quantum domestici, quan-
tum peregrini sanguinis hauseris
referre pudeat.

Oia

O iam miseras respice terras,
Quisquis rerum fœdera nectis,
Et quo cœlum regis immensum,
Firma stabilos fœdere terras;

Vt pace in plenum reddita, tibi, aris, templisque tuis, alieno domesticoque vacui sanguine, puras tibi sacremus manus, purasque mentes, puras cœlo tendamus.

Verùm vt propiùs militaris roboris decus excutiamus. quid hic magnum, in quo iure quisquam glorietur, meritamq; laudem speret? an magnum in mutuo sæuire sanguine? & belluas feritate superare, aut in naturæ dedecorationem flumina, mariaque humano cruore vincere, telluremque inuiso rore fœcundare? an stare repercusso cursu cadaueribus fluminа, humumque sub pondere ingemiscere indignabundam? Hannibalem Vergellum flumen cprporibus instrauisse Romanis, exercitumque per cadauerinum traduxisse pontem, quid fuit magnum? quid cùm

apud

apud Cannas per Romanos annulos cædes suas modio metiebatur? Quid Mithridatem octoginta Romanorum millia per Asiæ vrbes dispersa vno imperio iugulasse, & tanquam vnius arundinis internodia vnius ceruicis caput præscidisse? Quid Scipionem octoginta cæsorum millibus præliis duobus Africam cruentasse? Quid Marium centum Teutonum millibus; quid eundem cum Catulo triginta supra centum Cimbrorum millibus Italiam delassantem? Quid Lucullum quinque præliis sexcentis & amplius cęsorum millibus grauem, vt natare in suorum sanguine Mithridatis & Tigranis regna potuerint? In exercitu verò Darij decies centena armatorum millia numerata, cæsaque, aut non magno negotio a Macedone in fugam versa. Et Xerxem mille ducentarum longarum nauium apparatu, duobusque onerariarum millibus maria, terramq; peditũ septingentis millibus, equi-

tumque

tumque quadringentis millibus fatigantem legimus, suorum cæde, nec memoranda re alia nobilem. Cæsarem autem annis non totis decem, extra ingentem captiuorum numerum, supra decies centena millia ceciđisse vno ore narrant historici. non potuerunt ab hoc sanguine ingentia nasci flumina, quibus immanis hęc feritas satiaretur? non potuit nauigare classis in hoc barbaro sanguinum Oceano? ac nescio an sub Pompeio pauciores ceciderint. In Constantini sanè cum Magnentio pugna spectauit Roma ciuium suorum supra quatuor & quinquaginta millia cæsa, cùm sub Cæsare & Pompeij liberis fatali propè congressu non suprà triginta millia vidisset. ita regna omnia orbisque vniuersus Romano natauit sanguine, natauit suo, vt si sanguinem admetiaris, dubites an fluminibus vincatur. Hinc illud Lyrici,

Quis non Latino sanguine pinguis
Campus sepulcris impia prælia
Testatur, auditumq; Medis
Hesperiæ sonitum ruinæ?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniæ
Non decolorauere cædes?

Verùm quid miramur ab hostili manu & mente tot vndique sanguinum manasse flumina? cùm etiam per lusum, & in oculorum oblectamentum in vno Romano Circo ac Amphitheatro non pauciores quàm iustis pleriſque exercitibus ceciderint? centum sanè sub Tito editionis dies, sub Traiano centum viginti legimus, & in iis non semel gladiatorum millia decem. quid quòd die vna vicies non semel Amphitheatri area decies fabulata? vt non opus fuerit Euripis, cùm sanguine nauigare potuerit classis. Subduc rationes, & videbis vnam hanc amphitheatralem aream plus in alta pace ridete vul

tu hac

tu hausisse sanguinis quàm omnibus propè bellis Cæsar fuderit.

Quòd si ad nostra tempora oculos calamumque flectamus, nescio minúsne humani sanguinis fluxerit. Lusitanico sanè ferro Gama, Albuquercio, Almeida, Pacieco ducibus, flumina cadaueribus reflua stetisse, sanguine Oceanum superante accepimus. ab eodemque ferro Africâ natasse vidimus, duodecies centenis Angolanorum millibus, anno 1584. per præcipitia abactis, vt ingentibus montibus valles suæ æquatæ planum calcatum Lusitano præberent. accessit altera pugna anno insequente, qua sexcenta illorum millia exigua Lusitanica manu Pullo Dias ductore ceciderunt. Ac dubium etiam mihi hæret, pauciorésne in Occidente Iberico iaceant ferro, fatiscentibus totis regnis cadaueribus: vt non opus fuerit cœlesti imbre, rigari sanguine terra potuit, barbaroque hoc imbre fœcundari.

Iam si propiùs ad nostra mentem flectamus, mitiora videbimus? non vna Gallia annis non totis viginti sexaginta quinq; supra septingenta millia suorum funera vidit? cùm etiam ipsi testatum reliquerint, annis non integris decem vicies centena millia ferro flammaque cecidisse: ac hos inter, sacerdotũ quinque millia, hospitalia verò nongenta, monasteria supra duo millia, ecclesiarumque aliarum supra viginti millia excisa. Hęc Christiani. Christiani saltem audire volunt in hoc tam effero barbaroq; ferro.

Neque hic lupis mos nec fuit leonibus
Vnquam, nisi in dispar feru.

Et nos in amica ruimus capita, in eiusdem cœli tanquam veteri sobolem, in eiusdem Dei tanquam vnius parentis filios, eodemque sanguine libertati redditos. pulcrum nimirum Christiano madere sanguine, vt iterum Christum suffigamus cruci; ita crudelitati nostræ non sa-

ti

tis est semel pependisse. mitior ludæa manus vna morte stetit. at nobis pulcrum sanguinẽ irrorari, perplui, innatare etiam, qui fluminibus debebamus & fluentis diuinæ gratiæ. pulcrum adeò sanguine potari, inebriari, quos incalescere æquum fuerat cœlestis sponsi vino, à cellis illius promis casto amore fluente. Quò rapimur, furorque nos trahit? quò ira & indignatio, animusque ferox, sui impatiens, aiieni appetens? quò nõ iam imus, sed tanquam è præcipitio voluimur in sanguinem,

Vt rapidus torrens, animos cui verna ministrant
Flumina, & exuti concreto frigore colles?

Dictum, factumque aliquid quod animo non satis composito, & ad ferrum prompto displiceat; aut vicino inhiat agro tanquã fonti nunquam explenda sitis, alieno horreo tanquam mensæ nunquam saturanda famcs, aut dira denique egestas

premit alieno locupletanda, tela parant,

Horrentesque situ gladios in sanguine recurrant
Vulnera, & attrito cogunt inuanescere saxo.

Exulat pietas, relegata modestia, exuta verecundia, & quidquid propè est Christianæ frontis. moraque iam omnis longa. mens, oculi, vultus, verba nil nisi sanguinem spirant, loquuntur cædes, incendia, direptiones, vrbium regnorumque viduationes. credas ante signa sæculum totum puguatum, sæculo creuisse iras.

Amnibus hybernis minor est, minor impetus igni,
Tardiùs astra cadunt, glomerantur tardiùs imbres.
Gelida nec crebrior exilit Arcto
Grando, nec Oleniis manant tot cornibus ignes;

Quàm nouitium hoc ferrum ferunt in cogitatos hostes, in innoxia pascua, nemora, montes, valles, flumina,

mina, hostilesque aggeres mariaque. Nihil hic intactum, nihil sanctum. nullas ager amicus est, adeoque quidquid prædæ & rapinæ materies est, hostile est. nescit parcere manus semel armata, voluitur cæco impetu. omnis illi opulentia inimica est, omnis ager hosticus. inde iam scelera tanquam agmine facto qua data porta ruunt. inde facinora quæ erubescat calamus, & sanguine pinguior campus. dulce nimirum viris hac ire via, inimica iuxtà amicaque calcata proterere corpora, vt ignobilis terræ vilem puluerem. possem hic illud Poëtæ:

Vinci sua crimina gaudent
Manes, in tanto scelerum procursu, tanta promiscui sanguinis profusione. &

Iam cominus ipsa
Pabula dira feris, camposque odere volucres
Spirantes tabo, & cœlum ventosque grauantes.

Solus homo tanquam inter amica conuiuia & mensales epulas, inter læta adolescentię primæ gaudia, inambulat lætus, credas rosas violasque calcare. iuuatque etiam incadauera ferrum experiri, animamque si qua lateat excutere. nimis illi mite vno cecidisse vulnere. Repetenda sunt, & exacuenda feritas, ne fòrs niora miteſcat, aut humanitate tacta miserari discat.

Et veniunt hęc à Christiana mente? aut sapiunt hęc Christum suum, beatamq; æternitatem cui adoptati? nulla ibi bella, æterna pax est; nulla odia, æternus amor est; nullum ferrum, æterna quies est; nullæ iræ, æterna mansuetudo est; nulla indignatio, mititas æterna est, imitemur æterna. errare non possumus. nemo fallitur qui ad illam vitam composuit suam; nemo qui ad illius mores formauit suos; qui ad illius placita mentem effinxit suam.

Incipiamus dum vita manet

ęmu-

ęmulari facta, quorum speramus associari consortio. incipiamus sequi quę possessa iuuabunt, imitari quorum fruitione gaudebimus, & exultabimns *lætitia inenarrabili.* non infimum signum est cœlo deputari si pacem amet, pacem foueat. hinc illud: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Si filij Dei pacis cultores, quales erunt, & cuius filij discordiarum seminatores, bellorum maximeque ciuilium incentores, cędium administri, odiorumque omnium tubę ac tympana sęuùm intonantia? & verò pacẽ beneuolentis dexteræ Domini signum esse ab Isaia discimus. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. non leuabit gens contra gentẽ gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium.* Matt. 5. Isa. 2.

Bella verò indignantis, sęuientis, ac sceleribus nostris prouocatæ dexterę signum esse habemus Leuitici 26. *Quòd si ambulaueritis ex aduerso mihi; ego quoque contra vos*

aduersus incedam, inducamque super vos gladium vltorem fœderis. Et Deuteronomij 28. *Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius; ponet iugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat. adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu: cuius linguam intelligere non possis. Gentem procacissimam, quæ non deferat Leui, nec misereatur paruuli, & deuoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ: donec intereas, & non reliquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum, & greges ouium: donec te disperdat & conterat in cunctis vrbibus tuis, & destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua: & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus, in angustia & vastitate, qua opprimet te ho-*

te hostis tuus. Bella ergo scelerum pœna; & quidquid illa indiuiduo ferè nexu comitatur in vindictâ est.

Pax contrà virtutis præmium, piatatisq; ac probitatis merces magna. hinc illud: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum: & leo quasi hos comedet paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis: & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet.* Isa. 11.

Vt exprimeret pacis augustam amplitudinem, ingensq; bonum, aduersantia mutuo coniunxit, arctissimoque vinculo, nulla ætate, nullo robore soluendo, inuicem pugnantia colligauit. Eueniant hæc nobis, pacisq; æternùm cultores, Deiq; æternùm filij nominemur & simus.

Bella in æternum nocituris hostibus parentur, Carni, Mundo, Dæmoni, habes hos perpetuos, habes

domesticos, habes inter gaudia mœrores, vigilias, somnum: inter non-moritura odia æternitati insidiantes. nullæ hic inducię, æterna bella sunt. nulla armorum cessatio, perennis dimicatio est. nulla hostilitatis intermissio, perpetua colluctatio est. Exurge & invigilia animæ. nulla quies ab hac manu est, non dies noctes immunes. & valida stat acies tot annorum militia probata, tot magnorum cędibus & monumentis clara, tot orbe primorum iugo, mancipio, vinculis, jugulo illustris. pauci ex hac luctatę millibus vitam retulerunt, inulneratus transiit nemo. Nulla hic de regnis, opibus, gloria concertatio est. De æternitate est. Semel periisti? æternùm iaces tormentorum & ignium infelix pabulum. erigere. tantùm Christus in capite pro galea sit, æternitas pro clypeo, Incerta vitæ huius pro ferro. his armare. quid metuis sanguini, aut exhorrescis vulnera? etiam inter hæc

fiducia

fiducia plenus erigere. de genu si pugnandum est, aude. post liuores & dentium sub iaculatis rupibus fragores, audentior exurge. fluit sanguis? vires ille addat: ita veteranus vires à sanguine & vulnere sumit: adeoque sanguis illi tubę & tympana sunt ad noua bella,

Vt modò connubiis taurus, saltuque recepto,
Cùm posuit pugnas, alio si fortè remugit
Bellatore nemus, quanquaam ora & colla cruento
Imbre madent, noua bella parat, campumque lacessens
Dissimulat gemitus, & vulnera puluere celat.

Imitare Christi miles. illi si sanguis fluit, bene. fugit anima? si Christo fugit, felix. vulneribus corpus immane hiat? Christo si patet, beatus. additę minę? contemne vmbonetectus Christi. in vnum caput tot instructæ veteranorum acies, tot inferorum legiones? ne verere,

Christi tui flatu diffugient hæcagmina.

Qualis cæruleis tumido sub gurgite terror
Piscibus, arcani quoties deuexa profundi
Scrutantem delphina vident; fugit omnis in imos
Turba lacus, viridesque metu stipatur in algas.

Talis omnis interni potestas Christo se commouente. quod si mutuo se inhortantes, pergant sæuire. perget ille protegere, tartareasque cruce fugabit legiones: illumque à primordio venenarium serpentem primordiali noxa nobilem, feliciore paradisiaco conteret ligno. qui licet omne quod habet virus in ora legat, vt primùm tamen cælestes tutelares senserit manus,

Cecidere minæ, tumefactaque frustra
Colla sedent, iraque sui bibit ipse veneni.

Allicie-

Alliciunt forté præmio ? memento primordialis delicti fallaci promissorio verbo provocati, indeque infelici traduce in omnem posteritatē germinati. spondent maxima ? non possunt maiora illo diuinitatis æmulatore à primordio mendaci, etiam iuramento interposito ? fuge has Sirenum voces. hostes sunt. voluptatem, opes, gloriam vltro obtrudunt ? ne fide, venena latent sub hoc fauo. & hostilis exercitus ductores hi sunt. time Danaos & dona ferentes. sub hoc fatali equo proculcatio latet & ruina, flammæ, & quidquid excogitari malorū potest. in latentia dies te docebit, à Christo ſ le tuo natus. ille insidias deteget, fœtumq; malorū vterum meliore flamma & ferro rescindet. tantùm ne ab illius placitis vel latū crinem decedas. quantum enim decesseris, tantum periclitatus és. nec aliud hostile studiū quàm vt te ab illius latere, à fida hac statione deducat. Naufragandū erit?

caue

caue sine hoc nauclero elemento fidas. malaciam spondet? naufragia dabit. toto ridet æquore? momento sorbebit, & inter iocum & lusum operient te fluctus nunquam reddituri. instruenda acies est? vide ne sine hoc ductore. ille si abest, peristi. ingens enim hostilis exercitus est ad omnia paratus, ceu è veteri Romanorum disciplina,

Iam clypeo clypeus, vmbone repellitur vmbo,
Ense minax ensis, pede pes, cuspide cuspis.

Ceu Numidarum more facili noxioq́; iuxtà procursu fugaque, ceu telis & fundis eminus Persico apparatu, ceu valida Gallica impressione, ceu Germanico aperto Marte campoque, ceu insidiis denique res agenda est; omnium gnarum, nulliq́ue parentem, nullius miserentem hostem nactus es. nihil illo promptius, nihil ad quodcunque ferrum expeditius. quoquo te vertis, armatā inuenies dexteram. fugis? quidignaue

Se-

Sequeris timidæ compendia vitæ?
mnuta omnis fuga est, sequitur fugientem, grauiora daturus vulnera. fugit ipse? dolus aliquis latet in hac fuga. ne desere stationem, neu fide robori. numero, prudentia, astu, experientia, viribus immensùm vinceris. Christo tuo adhære, ab illius latere vide ne latus dimoueas tuum. si somnum natura postulat, in illius amati sinu caput reclina. ille te tuebitur ab insomni hoste. securus ad illius pedes lassata sopori membra dabis. sin dies te vocat, accingere, vt virum, vt militem decet; non tanquam è molli culcitra, sed vt è tentorio, é nuda humo, aut dura rupe, membra prorumpe. nũquam exarmata procede dextera, fulgeat ferrum, pharetra dependeat, luceant arma. ac nec somnus obrepat inarmato. arma verò à Virtutis armamentario pete. ab illius incudibus ferrum fluit quod nullius hebetetur armis: lorica venit nullo penetrabilis telo.

Accin-

Accingere his armis anime. tutus per medios hostiles ibis cuneos. tutus castra penetrabis inimica, nulli parce. non cadit vno vulnere hostis tuus. Cadmæa soboles est, enascuntur ab vna ceruice plures, at tu fide his armis, nec effero terrearis conspectu. armis, non oculis victoria paranda. ne barbaros efferarum mentium verere vlulatus. ferro, non clamoribus victoria stabit. nec multitudinem formides, quamdiu accinctus hoc ferro es, quamdiu armata dextera his telis Arma proiecit hostis & inermes protendit dexteras, oneranique palma, lilio, rosa, viola pro ferro? ne crede. maiora bella parat, & magnum aliquod meditatur malum. ignis hac palma tegitur, lilia felle madent, & toxico tincta rosa violaque est. vno verbo, ne tange, quidquid ab hostili manu venit. durum sit aut molle, amarum aut deliciis affluens. cædes & flammas de proximo minatur, venena

& di-

& direptiones de propinquo iaculatur. neque vnquam magis ant ille timendus, aut armanda dextera est, quàm cùm pacẽ mentitur. bella tibi & ęterna ab illo sunt.

Macte virtute Christi tui, quanto potentior hostis, tanto nobilior victoria, clariorque triumphus erit: nec arma pone donec in Christi tui sinu generosior miles felicem posueris animam, cœlo in omnem æternitatem donandam: cùm *Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis.* tunc (omnibus quę in hoc sęculo, quęque inter cœlum terramque plena formidinis sunt, omnique quod ventorum flatibus, nimborum, niuis, grandinisque iactu tumultuoso teritur peragrato) inter summa constitutus, pulcerrimo diuinorum spectaculo fruetur, & per quidquid in omnem æternitatem fuit eritque, beatus decurret 1. Cor. 4.

tunc

tunc etiam pericula quibus olim obnoxius propiùs cognoscens, hostiumque suorum numerum, robora, improbitatem, nullo ævo pacanda odia, nullisque ignibus tormentisque saturandam sanguinum animarumque in interitum sitim, prorumpet in Dei laudes eo maiores, quo vnius illius dextera maioribus se ereptum videbit, securus iam de victoria, deque indubitata bonorũ omnium felici possessione nullo ævo finienda, nullo minuenda.

CAPVT IX.

MENSÆ, VOLVPTAS. *Verecundiam hic indues, cùm videris te vinci à bestiis, quæ famem sitimque restinxisse contentæ cibum necessitate, non cupiditate metiuntur. nos maria & terrarum vltima palmari stomacho scrutamur, & iam orbis luxui fastidioque minor est. voluptatem deinde æternis*

nis commensurare discès tormentis, ignibus, exilio æterno: aliorum exemplo prudentior, qui oblectationibus momentaneis, nullo interituras æuo flammas accessiuere. at tu memento cœlo recondidisse gaudia Deum æterna. tantùm fugitiua hæc contemne, maioribus natus. prudens negotiatio est, properiturorum neglectu æterna mercari. Sed & plus in hac etiam vita voluptatum haurit animo, qui cælestibus his meditationibus animum pascit, quàm sperare spondereque caro omnis audeat.

DECVRRAMVS sæculi huius reliqua. vina per ætates & gentes numerata, pisces à supero inferoque mari, à fluminibus, torrentibus, lacubus euocatos; feras defatigatis siluis & montibus, seruorum dominorumque non rarò sanguine purpuratas; aues post mutuas lacerationes cœlo detractas, aut aucupis decipulari fistula circum-

circumuentas. iam electibilium ci-
borum reliqua, condimentaque
nauseanti domino somniata, quid
dabunt ad beatam vitam? imò quid
ad vitam? addo. quid ad oblecta-
mentum palati? panis & casei; &
recenti mella alueario rustica de-
florata manu, nouoque mulctralis
lacte sudantia, minoréne sensu ad
aratra veniunt, quàm perdices &
paui, & quæ qua venerant via re-
dire iubentur, ne desit quod inge-
ratur stomacho?

O vbi mens nostra? vix palmari
stomacho ingentia fumant fumi-
bula, feruent tripedales aheni, Ba-
bylonię calent fornaces, immanes
æstuant ignes, superstant ferculo
ferculis lassatis mensis. seruorum,
ancillarum, coquorum sudat exer-
citus: natant penuaria vino, fati-
scunt horrea frumento. Et ego cre-
dam vnum ventrem cui plurima-
rum non raro gentium condantur
vina? cui in Hispania, Italia, Ger-
mania, Gallia, & qua se latissime
Occi-

Occidens Orienſque iactat, ſonant calculi, ſcinduntur maria, feritur terra.

Ac ne quid deſit luxui, tot piſcium monſtra, tot auium ferarumque genera, tot condimentorum proritamenta non explent oculos, niſi æmuli naturę, quidquid flumina, maria, aër, terrarumque omnia fami ſaturandę benigna dedernnt manu, ludat in ſaccaro imò niſi non iam piſces, aues, feræ, ſed ſaccarum ſint, mentita genus ſuum, nihil egeris. natant proinde tanquam in ſaccareo Oceano piſces, procumbunt tanquam inter ſaccarea paſcua & nemora ſaccareæ ferę, minantur volatum ſaccareæ aues. quid quòd caſtra & propugnacula ſolido fabricata ſaccaro inferantur menſis, cum propugnantium, oppugnantiumque manu? vtrinque ſaccareæ minę, tormenta ſaccarum vomentia, haſtę & plutei, enſes & ſaccarea iacula, & ferrum nuſquam, & ſanguis nullus.

Vena-

Venationes deinde regię vni in-
cumbunt mensæ. saccareos leones,
apros, ceruos, lepores, saccarei in-
sectantur canes, saccarea cingunt
retia, tegunt saccareę siluę, potant
saccarea flumina. iam quæ veteri-
bus marmoreæ statuæ, saccareæ no-
bis sunt. amantium iras & blandi-
tias, indignantium fremitus & mi-
nas saccarum mentitur. nimirum
vt comedant oculi, intueantur ora.
quò hęc tam fatua æmulatio? sed &
ne quid desit naribus, perflantur
mensę odoribus ex vltima Arabia
deportatis, vt in his ad plenum lu-
xuriæ parentetur.

Nec satis fuit ad luxuriæ palatum,
odoribus saccaroque cœnacula ve-
stire, nisi nouo cõmento (ita sem-
per ingeniosa cupiditas est) sacca-
reis caueis & retibus viuæ include-
rentur aues, quæ cantu suo conui-
uantium mulcerent aures: nisi sac-
careis plagis irretiti lepores, aureis
vincti armillis, dum fugam trepidi
meditantur, nodo conuiuas spe-

taculo exhilararent. atq; hinc etiã retibus saccareisq; dissectis plagis, & cœnacula volatu, & leporina fuga, grata mensæ trepidatione perstrepunt. quid exspectamus reliquum? nisi vt mensæ stent saccareæ, saccarea cœnacula, sedes saccareæ, scutellæ, orbes, mappæ saccareæ, parietes, deniq; laquearia, domusque totta saccarea, & saccarum omnia.

Adde his tibias, choros, psaltrias, turbam musicam, concentum varium, qui & Hispanam maiestatem, Italiam prudentiam, agilitatẽ Gallam, Germanam grauitatem, Anglam solertiam, matũriratem Belgicam, omnisciam & omnicanoram modulationem exprimat. ad quam non iam Arcades, Satyri, aut saliant nymphæ, aut furentis orgia Bacchi; sed qui Philosophum pallio, Senatorem toga, matronam modestia, virginem referant verecundia. Fuit cùm nemo sobrius saltaret, cùm solus

Bassaridas, Satyros, Panas, Fau-
nosque docebat
Ludere Silenus iam numine plenus
alumno.

nunc ignara viri & vini virgo, inter roboris sui ornamenta prima, saltus & choreas statuit in medio vi tulantis iuuentutis, inter petulcos oculos, & sola libidine fortes. non satis erat vultu, nisi & manibus & pedibus iacularemur cœlo scandala. nam quid hæc sunt nisi incentiua libidinum, & quæ publicare prudentissimus ac continentissimus quisque vereatur? nam quo modestior aliquis, quo verecundior, eo in his magis publicùm vitat. at nunc pudore posito in omnium oculis

Iuuat & vago rotatu
Dare fracta membra ludo,
Simulare vel trementes
Pede, veste, voce Bacchas.

Verùm exercitatio hęc valetudini oportuna. quasi deesset verecundior ludus, & qui minùs publi-

car

caret ruborem, & accenderet pœnitendas flammas. & deerat olim valetudini aut tuendæ, aut reparandæ ratio, quia nusquam chori nisi in scena aut lupanari? & quos nullus duceret, nisi aut sine fronte comœdus, aut impudens leno? aut virgines ætas nostra potentiores dedit, quia valentiores psaltrias? an & olim fractior Romanus miles, robustior Sybariticus; quòd illi sine saltu, hi cum tripudio hostem ferirent?

Quamdiu hæc vana? cibum & potum excipiunt tripudia & Corybantum cymbala, & rursus pocula, & redeunt mensæ. ita itur in orbem,

Festasque iunat reponere mensas,
Donec ab Elysiis prospexit sedibus alter
Castor, & hesternas risit Titonia mensas

vt taceam verba quæ non ætatem modò primam, sed & totum dedecorant hominem. atq; hinc iam illa

monita tanquã ab oraculo prolata.

Frange toros, pete vina, rosaceo
pe, tingere nardo,
Breuis hic est fructus homullis
Iam fuerit, neque pòst vmquam
reuocare licebit.

nam quid à beata hac vita reliquum, nisi vt,

Peragat diem cadentem
Dape, poculis, choreis,
Genialis apparatus?

vox deinde fractior, incessus mollior, liberiores oculi, & nusquam pudor; qui exulare hinc iussus, quasi in publico nemo peccet, nemo erubescenda palàm cõmittat quacunque licentia: vt solus iam pudor seruetur parietibus & inocculto tecto.

Penetremus adyta, cubilia & molles toros. arbitraris sub auro & purpura suauiorem somnum edere? miri? at quanto dormit altiùs, quãto certiùs qui à ligonibus & incude venit, qui membra dedit stramini leui ille culcita & strato, aut nudo co-

contentus tabula, nulla arte quæsiuit somnum, arripuit venientem, & naturæ debitum persoluit, nec vltra. hic ille castum immisit toro corpus, castum recepit; at ille sub auro & purpura quoties fugienti vota dedit somno? quoties à plumeo mollique strato tanquam mediis æstuauit fornacibus? quoties nõ casta pedit membra purpuræ? quotiesnon casta recepit? ignibus qui oleum iniecit, an ille tibi glaciem aut retulisse videtur flammas?

De voluptatibus nihil dico. certum mihi minùs pœnitendas nasci in tenui casa, sub arũdine & palea, post cibum & potum qui naturam expleat paucis dimittendam, non cneret ingenti mole & adipe; quã sub auro & gemma, post odora vina, post ingestos cibos condimentorum partu naturæ suę degeneres & in aliam iussos migrare, non tam esurienti, quàm esuriem sitienti domino. atque hinc morborum tot propè quot condimentorum ge-

nere, securibus, ligonibus, & legu-
minibus ignorata: dum non con-
tenti obuiis, leuique parabilibus
infima scrutamur maria. cùm viua-
ria ad hoc claudimus, vt tempesta-
tum pericula non adeat gula, vt
quamnis pelago sæuiente, habeat
tamen luxuria portus suos in qui-
bus piscium greges saginentur. &
cùm ad manum sit quod satis est,
ad superuacua sudamus insatiabili
gula: vt nulla iam animalibus nisi
ex fastidio pax sit. Et quantùm, ro-
go, quisque per tot non rarò ma-
nus comparata fesso voluptatibus
ore libamus? quantulum ex fera
canibus seruisque pasta, crudi nau-
seanteque gustamus? quantum ex
conchyliis per tot maria aduectis
per palmarem stomachum labitur?
quantum ex inertissima ostrearum
carne, cœno saginata? nec satis est
sæuisse in cocta, nimis hoc plebeium
imus ad cruda: non & viua? de-
currimus deinde ad voluptuarium
venenum, irritamentum Veneris
langueutis, fungos, nocte, aut vni

luna natos, tot iam olim Principum funeribus nobilitatos, quasi inglorium sit comedere sine periculo. quid, quòd limaces factæ delitiæ, & non vna in gente rarior sine illis mensa? cocti nimis vulgares, tota adhuc anima domo sua decerpta migrant in stomachū, meliore nimirum hospitio donandi. quid reliquum, nisi vt eamus ad colubros & coruos? iam excrementa auium, piscium saniem salsa tabe præcordia vrentem, milleq; alia purulenta, & solis sordibus nota quoties inferri mensis videmus? quoties dein hæc similiaque quæ inuitis ingesta visceribus sunt, per os reddi audimus? quoties vinum omne vomitu remetiri? quoties niuem rodi glaciemq; in solatiū stomachi æstuantis? & innumeras miramur ægritudinū formas? condituras intuere ad irritandam, non ad explendā famem repertas. hinc pallor & membrorum tremor, & miserabilior ex cruciatibus quàm ex famæ macies.

inde etiam incerti labantium pedes, & suffusio luridę bilis, & decolor vultus, & neruorum sine sensu iacentium torpor, capitis vertigines, oculorum tormenta, æstuantis cerebri verminationes, luxuriæ fera supplicia terrarum marisque vastatricis.

Infelices planè in tanta ciborum varietate, quòd non intelligamus tam magno fœda hæc palati oblectamenta stare. Et hæc interim sunt illa magna, magnorum nauseanti stomacho comparata. & cogitantur indies noua. nimis enim vile vulgaribus pasci. mirum, si non indignum corpus tegi, quia vulgò id receptum. hinc etiam dies noctesque mutuo vertimus, nimis vile videbatur plebeiis vti diebus ac noctibus: secedendũ fuit ab hac regula. errarunt Sol & sidera. non & siderum conditor Deus? Et hęc est illa sæculi prudentia. O quando saniora! imò quousq, tam fatuis circumuenimur? quamdiu ludimus

inuet

inter hæc non dicam ludicra & infantię primæ crepitacula, sed delira & fatua? nam si vspiam helleboro, non hic opus? aut si hic non opus, vbi erit? in spice phreneſi aut mania tactos, & vide an tam longè ãberrent ab homine suo, aut magis extra lineam procurrant omnis veri.

Quid circumfers oculos ad Doctorem, ad Medicum, ad amicos, ad assentatores, ad mensæ non animi tui socios, vt te doceant, quid quantùmne capias? naturam consule; illa te docebit. nihil opus alieno calamo aut digito, nihil monitore Philosopho. nam quid quæris in cibo & potu, nisi valetudinem bonam, firma latera, sanguinem probum qui nec copia nec vitio grauet, spiritus puros & à fęce sua secretos? alia si cogitas, aberrasti. at paruo valetudo stat bona. & probatissimꝰ sanguis modico nascitur. nam illa quæ mole sua, & varietate iniiciuntur, eneruant verius & op-

primunt quàm iuuent. iam quid facilius quàm pascere ventrem bene institutum, & nihil aliud desiderantem quàm impleri? cogita

Quæ prima iratum ventrem placauerit esca.

Nec opus erit magno molimine, neque necesse erit scrutari profundum, nõ vltra Phasim capere quod ambitiosam popinam instruat, aut à Parthis aut vltimo Oceano aues accipere. infelicis hęc luxuriæ commenta sunt, fastidienti, gulæque ac delicijs dissoluto stomacho parata, paucis etenim vilibusq; natura expletur: neque enim ambitiosa fames est. contenta namque desinere est: vt ad hanc sedandum nil necesse sit miliarios apros quęrere, aut phœnicopterorum linguas, aut reliqua luxuriæ portenta certa membra ex singulis eligentis.

Vis scire quàm paruo fames extinguatur? stomachum consule. scies quàm paruo dimittatur: quàm post pauca, post vilia, inclamet, Satis est.

tis est. Vis illum continere quod credidisti? metire ambitum. plura ne crede. sin pergis ingerere, coget redire qua venerant, aut demittet incocta. atque hinc tot morbi, & noua indies nomina. Et quid refert quid accipiat stomachus, perditurus quidquid acceperit? delectant te variè condîta? cùm subierint ventrem, vna atque eadem fœditas occupabit. vis cum Philosopho ciborum apparatum contemnere? exitum specta.

Iam quid fœdius vino supra vires & sitim hausto? aut quæ gloria cùm multos viceris, vinci à dolio? quid tremulæ manus, cadentes genæ, lippientes oculi, purulentę gingiuæ, vacillantes dentes? non plurimùm pocula signant, vt hedera vinum? quid, cùm cretati pedes & manus vinum suum loquuntur, non diuite amatorem suum pignore opulentat vinū? iam vbi crebrū ma didatum huius rore

tanquam imbre, oculis, ore, naribus Bacchum suum reddidit? quid vbi præpedita fuerint

Crura Vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, singultus, iurgia gliscunt?

Quid, vbi pauimenta & torum, sinumq; suorum & amicorum fœnerario impluerit imbre, tanquam si nouus terris Lyæus pater pampineo grauidam autumno prolem suam depluat, irroretque viciniam totam, vt sitibunda vere nouo pascua? vt inclamare iam possit,

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi,
Et nunc magna mihi molliter ossa cubant.

Et cum non vno generis sui,

Nos nisi damnosè bibimus, moriemur inulti.

Inde iam inter seruulorum manus,

Vertigine tectum
Ambulat, & geminis exsurgit mensa lucernis.

Tunc

Tunc saxa manu, tunc pocula pulcrum
Spargere, & immeritò sociorum sanguine fuso
Instaurare diem.

Nec bibisse & comedisse contenti, quærimus quemadmodum post saturitatẽ sitiamus, esuriamus, quemadmodum non impleamus, sed farciamus ventrem, quemadmodum sitim famemque prima potione ferculisque sedatam reuocemus. hinc vomitus & balnea, vt in locum eius quod effluxit noua sudoris materies ingeratur. & non dictum bene, Bibere & sudare vita cardiaci est?

Et hunc quisquam arbitretur hominem, qui rationem hominemq; suum exuit voluntaria insania? cuique longum fuit hominem esse? imò, cui non satis fuit bestiam esse? infra enim hanc se posuit spontaneo conatu. O iam non vani, sed belluæ, & si quid vilius illis! nam quæ bestiæ non ponunt modum? sitiunt?

sitiunt? bibunt vt sitim expleant: nec vltra sitim potus, esuriunt? comedunt vt famem tedent: nec supra famem cibus. inter homines non raro quo minor fames sitisque est, eo plus ingeritur. neque enim aut fame aut siti prouocante, sed cibi potusque insana phrenesi ruit ad cibum potumque. & cùm vix binas stomachus amphoras capiat, sex pluresve non semel cogitur admittere. Dura imperia! credas in decempedalem casam Ottomannicum cogi exercitum.

Decurritur hinc ad conuitia, minas, ferrum, ad lupanaria verba, ad alienum torum, ad blasphemas eructationes, amicorum carorumque cædes, rerumpublicarum regnorumque euersiones. monstra narro, non homines. tunc impudicus morbum suum profitetur & publicat: tunc petulans non manum, non linguam continet: crescit insolenti fastus, crudelitas furuo, malignitas liuido; omne denique

nique quod latebat, quodque pudor continebat vitium detegitur. adde his ignorantiam sui, dubia verba, incertos oculos, gradum errantem, stomachi tormenta, tecta mobilia. Et ferè crudelis ebrietas est. vino enim referta sanguinem plurimùm sitit, efferat animos, exasperat mentem, obstantemque pravis conatibus verecundiam removet. Exempla habes in summis viris proditæ reipublicæ, indefensæ patriæ, traditi exercitus aut deserti. Alexandrum & Antonium cogita. illum in amicissimo sibi Clyto, hunc in proscriptorum sanguine & nobilissimorum vrbe tota virorum. blanditur interim aliquando ebrietas. ne crede. demulcētis leonis vestigia sunt. qui vt feritatem aliquādo submittit, nō exuit tamen. hinc cùm minimè exspectaueris, exacerbatur toruitas mitigata. ita in ebrio blādimēta ferè furori proxima sūt. nega imperata belluina imperia; qd exspectes nisi

conui-

conuitia & ferrum, etiam ab amica manu, à tori socio? nulla enim hic reuerentia, nec filij in patrem, obseruatio nulla: nulla in illum pietas, nulla in sacra religio. exulatque virtus omnis; dominatur vitium nullo freno aut repagulis coërcitum, non timore, non verecundia, non futurorum exspectatione, præsentium metu, præteritorũ memoria. arbitreris tigrides in prędam ruere, in ouile lupos, in armenta leones, in ceruos canes, in minora volatilia accipitres, in cadauera coruos.

Sed durum est, cibique potusque voluptate spoliari, aquaque & hordeacei panis frusto contentum viuere. Nescis miser in quo solida voluptas posita est. in cibo & potu non est. corporis illa sunt, & bestiæ ista sine fastidio capiunt. reliqua in quibus voluptas sita, magis etiam illis propria: quibus & sine rubore & pœnitudine fruuntur.

Ad animi voluptatem homo e-

uocan-

nocandus, quæ nunquam in virtutis possessione deerit. comitatur illam, lateraque cingit vt perpetua tura, vt individua comes, vt illius toro nata, sinu fota, vbere lactata. quòd si quis mœror intercurrerit, nubium more infrà fertur, nec vnquam diem vincit. aliquid fors de serenitate detraxit, vt fatuus ille Rex, qui telorum iactu diem visus adimere: at vt nullæ sagittæ in Solem cadunt; ita nulla interlabentia animum tangunt, nec interrumpunt illius voluptatem quamdiu virtute lustratur & cingitur. tangerent, si â perituris voluptatem peteret quod enim dedisset fortuna, posset eripere. at virtus arbitrij illius non est. dare vt hanc illa non potest, ita nec eripere. & sola illa est quæ implere mentem pectusque potest; corporis voluptates non possunt. frontem licet remittant, & ora laxent, rarò tamen ad ima descendunt, cùm ferè in superficie natent. interiora perscrutare. vi-

debis

debis pectus inuidia marcidum, cupiditatibus anxium, fastu turgidum, & alia omnia quàm os oculique promittunt cogitantem. blandiuntur ridentque genæ? ne crede. ingentes sub hoc risu curarum latent acerui. frons exporrecta aut sine ruga aut seueriore vmbra magna spondeat? ne fide. serenitas hęc ingentium sollicitudinũ montes tegit. & dum in summo tibi videntur gaudiorum & voluptatum esse, in altissimo curarum & metus profundo sunt.

Vera ergo voluptas ab animo nascitur. nam corpus hoc a ima spoliatum quid nisi inertissimæ terræ vilis portio est? eoque voluptas omnis animi maior est, quo magis ab imo, ac quasi vado prodit, non vt corporis à supernè natantibus. Leuia enim hęc sunt, & vitium natatione sua produnt. probatissima sunt quæ subsidunt ac ima petunt. ita leuium metallorum fructus in summo est; illa opulentissima sunt quorum

quorum in alto latet vena, assiduè pleniùs responsura fodienti. Hęc verò quibus vulgò delectamur, tenuem habent ac perfusoriam voluptatem, qualis omnis corporis est, aduentitia, fundamento carens, volatica, & cuius non corpus, non pedem, sed plumam tenemus: quam vbi remiserit, fugit. at animę voluptas omnis è virtute nata, solida est, & plus patet introrsum. contemne proinde, si qua te tangit virtus, quæ extrinsecus splendent: opulentissima quęque secretum amant. nec quisquam thesauros suos publicauit. latent, solemq; ipsum verentur.

Ad animi ergo voluptates te conuerte, vt de tuo teipsum oblectes, deque te ipso, optimaque parte tui: animo dico bene composito, virtutibus instructo. Semita enim

Tranquillæ per virtutum patet
vnica vitæ.

Hic

Hic ille animus est, ad minas at tormenta impauidus: quem nulla spes, nulli metus à recto bonoque deducant, quem non minæ, non præmia flectant, quem nulla tiara aut diademata frangant, non exilia, paupertas, enses. interritus contra illa ibit, & inter illa. hic ille est qui in magno gaudio est, bene sibi conscius, criminis nullius reus, nullius facti pœnitentia trepidus, nullius dicti pœnitudine ductus. atque hinc illæ natæ voluptates, quas nulla erubescentia, nullus comitatur timor, nullus sequitur mœror; quæque non antè possessorem suum destituunt, quàm ab illo destituantur.

At corporis voluptates breues, pœnitendæ, secretum petunt, publicari timent, ac nisi magna moderatione temperentur, ac sub potenti freno contineantur, in domini interitum sunt abiturę. præcipitio enim omnis hęc voluptas proxima est, nisi manum inicias, modumq. teneas

teneas. modum autem tenere in eo quod bonum credideris, difficile. & ferè antè vitæ quàm praui desiderij finem spectamus. ita voluptatibus his capti priùs damna patiuntur quàm pericula senserint, priùs in præcipitium acti quàm verticem circumspexerint: plurimumq; ruina domini, dedecoratione generis surgentis, in ipsoq; ortus sui principio familiæ occasu voluptas hęc finitur.

Voluptatis verò animi auiditas omnis tuta est: veri enim boni vt satietas nulla, ita prosequutio secura est: quoque profundiùs ingrederis interminum hunc campum, eo amœnior prospectus, delectabilior fruitio, certior possessio est. hac voluptate si frui desideras, dimitte antè corporis voluptates turbidas magno aliquando luendas. neque enim venturæ tantùm, sed & præteritæ nocent. quemadmodum scelera licet non sint deprehensa cùm fierent, sollicitudine tamen premuntur,

muntur, ita & improbarum volu-
ptatum etiam post ipsas pœniten-
tentia est. illam nulla pœnitentia
comitatur quam animus ex se sibi
ex virtute, ex Deo inuenit. at hanc
intelligunt pauci, fruuntur pauciores, quærant licet multi, sed cùm
non quærant vbi peti & sperari debet, fit vt non consequantur. ille
enim ex conuiuiis & luxu, hic ex
ambitione & clientum turba, ille
ex amica, alius ex vana litterarum
ostentatione & nil sonantibus lite-
teris qnærit. at omnes illos in ve-
ræ voluptatis persequutione, falla-
cia & brenia oblectamenta decipiunt. sicut ebrietas quę vnius ho-
ræ hilarem insaniam longi tempo-
ris tædio pensat. at vera omnis vo-
luptas æquabilis & ęterna est, ani-
musq; illam possidens, qualis mun-
di status supra Lunam. semper il-
lic serenum est; ita nunquam ille
noster sine gaudio & voluptate est.
gaudium verò hoc non nascitur ni-
si ex virtutum conscientia.

Quid

Quid? priores illi non gaudent, non implentur voluptatibus? non magis quàm prędam nacti leones. cùm fatigauerint se vino & libidinibus, cùm illos nox inter vina & voluptates defecit, exclamant miseri Virgilianum illud,

Namque vt supremum falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti.

omnem illi noctem inter falsa gaudia, & quidem vt supremam agunt, nomen enim tantùm voluptatis habent, cætera exanguia sunt. sed gaudium illud quod animum virtutibus excultum sequitur, non interrumpitur. fieret, si arreptum esset aliunde, si ab externo aut aduentitio accederet. nunc cùm ex animo natum, in ipso educatum, sedem ibi fixerit, solus illud turbare aut interrumpere potest, cui in animum imperium est Deus. fortunę nullus hic locus. quam etiã vltrò audet prouocare. congredere, paratum inuenies. quamdiu

inter

inter ignauas minas hęres? quęri enim vbi virtutem ſuam oſtendat,

Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fuluum deſcendere monte leonem:
Sic grauis Alcides poſt horrida facta reuerſus,
Gaudebat ſtrato lætus acclinis leoni.

Delectatur arduis & ingentibus animis perdura & aſpera, & per vulnera & ſanguinem voluptatem quærit, adeoque in ipſo vulnere & ſanguine. atque hęc æterna eſt tanquam è chalybe & rupibus improbo conatu extorta, vi & ſudoribus parta. contrà quę è mollibus, vt è culcitra & pluma enata, in ſuperficie natat, ora riſu ſoluens, ac ſupremam cutem titillatione quadã percutiens, animum in mœrore deſtituit. hinc ſi quæ tempeſtas aut fortunę malignitas inſurrexerit, in vagum abit puluerem, in cineres & leuem fumum. quin adeo audeo dicere

nullam

nullam maiorem voluptatem esse voluptatis contemptu: ille namque in altissima voluptate est, qui voluptatem omnem protriuit pedibus, risitq; vt indignam viro. nam quamdiu voluptas quæritur, nec habetur, anxia mens agitur, & dum desideratis caret in voluptate non est si consequuta fuerit, amittendi illam metus territat. scit enim externam voluptatem omnem fugitiuam esse, possessoremque suum plurimùm sola lætioris hilaritudinis ostentatione, aut sanè in gaudiorum initiis, primisque delibationibus destituere. at ille qui nullam talem sollicitus indagat, quin vltrò etiam occursantem repellit, togamque etiam si apprehenderit dimittit ac excutit, nec amissionis metu, nec exspectationis sollicitudine percellitur, semper in eodem statu manens. veniat, blandiatur, recedat, minetur, nihil ad se pertinere arbitratur. & vt fugitiuum mancipium, vt venenariam auram,

vt multa mentientem, nec vltra sponsiones prosilientem, ridet; ingentemque voluptatem à voluptatis exilio capit: tantoque maiorem quanto illa longiùs exulat. sed & si accesserit importuna illectrix, vt abortiuas sordes execratur.

Hanc vnam è contemptu natam nemo eripiet. certabitque adeò quicunque hic est de quadam felicitate cum cælitibus, maior Regibus, Imperatoribus, orbe toto maior: vt qui in altissima domestica pace vitam degat. Lusit ad hunc Poëta:

Non frontem vertere minæ: sed candida semper
Gaudia, & in vultu curarum ignara voluptas.

Et non summa voluptas est ad id se reduxisse quod eripere nulla fortunę iniquitas possit? & ad id sua spōte descendisse quod nec ad extrema quidem redactis timendum est? Hoc est præoccupare fortunæ tela, est ridere, est se illa maiorē facere

Indu-

Indurandum proinde etiam corpus est vt animi exemplo vera & quam nulla eripere fortuna possit voluptate fruatur. cibus proinde famem sedet, potus sitim extinguat, vestis arceat frigus; domus imbribus, ardoribus, frigoribus, tempestatibus munimentum sit. hanc vtrum cespes texerit, an varius lapis gentis alienæ quid interest? cogita hominem tam bene culmo quàm auro tegi, cogita meliùs leguminibus quàm pauo pasci, cogita securiùs olere quàm ostreis & fungis saturari; denique valentiora esse corpora à pane & caseo quàm à mille condituris: eam etiam cori pori summam esse voluptatem quę ad naturam maximè composita est. athæc minimo contenta est, supervacuis fatigatur. vnusquisque deinde seipsum intueatur, metiatur corpus, sciet nec multum, nec diu capere, nec pluribus simul voluptatibus vacare posse.

Nihil tamen æque profuerit, ad horum omniū contemptum quàm frequens cogitatio breuis æui & huius incerti, alterius æterni & certi. & vide quæ te ad hęc ducant. corporis voluptates non ducent. quin imò propter has trahimur miseri ad funesta tribunalia: rapimur nudi sistendi iudici tot scelerum eis his rei, dæmonibus accusantibus cœlo testante, conscientia mordente, Deo iudicante. quis crudelior hostis dæmone? quis certior testis cœlo? quis grauior morsus conscientia? quis æquior iudex Deo? aut quis effugiet dæmonum solertiam, cœli prudentiam, conscientiæ rubborem, Dei scientiam? etiam cogitata, & mentibus solis creditu cùm ducantur ad iudicium propitiatore Deo, quid speramus? Etiam tam seria re, tam seueris rigidisque dictorum factorumque subductionibus audemus insistere tam lubricis, tam breui perituris? ampleti tam dirè vindicanda? sequi igni

bus punienda æternis? pro tam labilibus, tam momentaneis æternaturas accersere flammas? nam quæ sagitta Parthica citatiùs fugit manu, quis perflat Eurus ocyor, quæ secat aëra auis velociùs, quàm possessorem suum destituat voluptas omnis, mensę, ioci, risus, delicię, & quæcunque terris suauia & magna? iam quis nollet diem vnum carere mensis ac voluptatibus, vt solidum iisdem fruatur annum? cogita imperio magni Cęsaris lege lata denuntiari singulis, Quicunque diem vnum ab illarum se fruitione cohibuerit, annum totum in earum possessione futurum; qui annum, annos quinquaginta; qui quinquaginta, mille: contrà qui diem vnũ iisdem se dederit, annum integrum cariturum illis; qui annum, quinquaginta; qui hosce, mille; ac pro voluptatibus, pœdore ac vinculis, verberibus ac inedia coërcendum. quis tam fatuus, vt diem præeligat anno, annum quinquaginta, hosce

mille? Et tamen quid sunt hæc, æterna consideres? quid annus vnus, quid quinquaginta, quid mille cum æternitate comparati? miseranda æternitas tam leui parta? insana fatuitas quæ tam paruo, tam fugitiuo, tam nulla re æternâ mercatur infelicitatem, cùm pro momentanea fuga æternam mercari posset beatitatem.

Quid quæris anime voluptates? cœlo reposuit Deus æternas. quid gaudia & commoda? cœlo reclusit Deus æterna. vis sęculi huius volaticas, & priuari æternis? ô vbi cerebrum & pectus hominis! vis has inanes, fallaces, dubias, & excludi æternis? ô vbi mens & cor prudentis! & stare hęc duo simul non possunt. alterum deligas, alterum negligas, alterum sequaris, altero careas necessum est. delige. æternitas & momentum in medio sunt. Lazarus te docebit & infelix Epulo. ille è duris & asperis & voluptatum relegatione in Abrahæ sinu;

sinu; hic è delitiis, è mensis & purpura & voluptatum possessione inter flammas constitutus, dum alternas gaudiorum & mœrorum vices æmula retributione compensant. Dura compensatio. pro tam modicis, tam citò acinspetatò dominum destituentibus æternis adiudicari flammis: *Memento, quia accepisti bona in vita tua.* caussam habes pœnarum & ignis, & ignis æterni. *Lazarus autem mala*: caussam habes beatæ æternitatis. nescivit nimirum hic delicias, ignoravit in totum voluptates, æterni mœroris & doloris socias, gaudiorumque cælestium inratos hostes. ille animę suę benè precatus inter epulas & ventris bona rapitur ad pœnas voluptatum asseclas, nullo æuo saturandas. acerba heu nimiùm commutatio. acerbior, cùm inter flammas supplici aqua negatur, & aquæ gutta. dura vicissitudo. pro momentaneis voluptatibus æternùm cruciari, vri æternùm:

& in æternùm vrentibus ignibu
aquę negari guttam. quid hic pri
mum, quid postremū dicam? qui
epulatus hic splendidè, indulsi
non multis annis genio molliaſe
quutus, ardet æternùm, omnis le
uamenti æternùm spe recisâ. nam
quid sperare possit aut audeat, cui
negata aqua est siti in ignibus re
stinguendę, & aquæ gutta? aut quid
speret laxamenti, cui extremi digi
ti modica aqua tincti gutta nega
tur? tam exigui roris tinctio nega
ta quem non terreat? aut quis iam
voluptatem sequatur tam dira pra
miatione clientē remunerantem?

Intuere deinde omnes cœlo ma
gnos. in asperitudine eos olim in
uenies sacci, in horrore cineris, in
oris de ieiunio varietate, & extra
sæculi lætitiam positos, terręque sac
cis incubantes, sordibus obscura
tos, mœroribus deiectos, ingemi
scentes, lacrymantes, pectora tun
dentes, dies noctesque ad Deum
suum mugientes, panem cinere mi
scen-

scentes, suspiriosa somnia & oculorum imbribus madidata ducentes, ita diem cinere, noctem lacrymis metientes. nec magnum fuerit etiam Regem in his designare, & quidem in Dauide in ingenti victus & cultus castigatione. eadem reperies in Achabo, post idololatriam & cędem Nabuthę, cùm in ieiunio & sacco læsuram abducit à diebus suis: eadem in Ezechia cùm vestem scindit, saccum induit: in fratribus leguminibus & aqua pastis, abdicata regia mensa, deliciis regiis; in Daniele, cùm post indicta sibi ieiunia carnis & vini, ordinem & somni significationem Babylonio edicit tyranno. Quid, quòd Mosem solo Deo pastū contemplari non potest à choreis & lusibus, à mensis & poculis pinguior populus? tantum apud Deum possunt recusati, & recisi, aut retardati pabuli officia. tantaq; est circumscripti victus & voluptatis prærogatiua, vt Deum præstet homini

contubernalem. mentior, si non ipse Dominus obliuionem sui exprobans Israëli caussam plenitudini deputat. *Incrassatus est dilectus & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus*, apertiùs etiam Deuteronomij 32. *Incrassatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* & quales nos ante pabulum & potum in virgine adhuc saliua exhibere consueuerit natura, ignorare non possumus. si non multo pollentioris mentis, viuacioris cordis, quàm cùm escis stipati, vino inundati iacemus. nam quid post hæc
Exod. 32 aliud supereſt quàm *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Intellige Scripturæ verecundiam, lusum, nisi impudicum non denotasset.

Et non Apostoli edocti aduersus diriora dæmonia ieiuniis & oratione præliari? aut quid nouum si eadem operatione spiritus iniquus educitur qua Sanctus inducitur?

aut

aut quid miramur cùm olim etiam athletę ante diem agonis arcentur à cibis lætioribus, ab hilariore potu, ab omni luxuria, tanto plus de victoria sperantes, quanto se magis ab his mollibus & eneruantibus retraxerint. & illi perituræ coronę inuitatu, militum exemplo, qui etiam in pace in armis deambulant, campū decurrunt, fossas moliuntur, propugnacula erigunt, per sudores victoriæ pręsternentes. neque enim difficilis de papilionibus & lorica, de nuda humo & saxo, in quibus omnis duritia, imbonitas, & insuauitas sedē fixit, ad sęculi triumphos via est. nos ergo qui æternos cogitamus, mollibus indormiemus, voluptatem sectabimur? ac nō potiùs in supremi agonis nostri diem robori ædificādo vacabimus, & ad duriorem nos tractationem à liberaliore cōditione seponemus? maximè cum stet sententia magni Dei, Aut hic illis aut ibi carendum. elige. æternas voluptates amas?

contemne has momentaneas facies, si timor Dei in capite sit. quæcunque necessitas minor est periculo tanto comparata. ne fide. pernicacissimũ hostem habemus, qui nunquam malitię suę otium facit, ac tunc maximè sęuit, cùm hominem videt ad aspera & dura se parantem. itaque obseruat, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum sæcularibus illecebris irretire, aut pectus asperiorum formidine euertere, aut ventrẽ mensis proritare. quæ cùm in omnes & omni vita moliatur, tum maximè inchoantibus & de sola spe ac exẽplis audentibus imminet, tanquam catulis infantię adhuc recentis, & per incerta necdum perfectis luminibus reptantibus. cautione hic opus est. ne crede. time. ne præsume. qui namq; præsumit minùs veretur. iam qui talis est minùs prę-cauet, plus periclitatur. timor fundamentum salutis est; præsumptio impe-

impedimentum timoris. ne fide blandientibus, suaue ridentibus. doli iatent sub hoc ritu. ne crede fronti. mentitur. lena tegitur hac purpurissa, stibiatę genæ meretricem suam loquuntur. fuge mollia, saporata, dulcia. conditis pulmentis malum iniicitur nociturum; insipidis nemo venena temperat. cane ne tanti gulam aut voluptatem facias, quanti periculum. momentanea illa est, periculum æternum, cuius successus perennat in omne ęuum. Dura perennatio, stolida aucupatio. nam ignorata mala commiserationem merentur. at nemo hęc post Euangelium ignorare potest: nimis clarè decantata, nimis certò denuntiata sunt. mentiri Deus non potest. sequere ergo monentem, ne sentias punientem. sequere in Lazaro præmiantem, ne doleas in Epulone sæuientem. præmia si speras illius, vitam imitare. pœnas si pertimescas huius, mores

fuge, voluptatibus nuntium mitte pelle quidquid ſęculi gaudiorum ſatis gaudet qui æternùm gaudet pelle nocituras voluptates, æterne te manent in Abrahę ſinu. exule quidquid deliciarum & menſarum hic lautiorum, ęternis donaberis. ſpopondit has Deus. quid dubitas? falli non poteſt. ſequere ſponſorem ad indubitata, certa, & cum ipſo perennatura te ducentem. terret te labor? momentaneus omnis labor eſt. breuis vita eſt. exulet tantùm ſęculi huius voluptas animę peſtis ab hac breuitate, & æterna ſpondeo; non ego, ſed Deus. ſequere. errare nec falli potes, ſi ductorem hunc, monitorem, ſponſorem ſequeris. erras, ſi non ſequeris, ſi ab illius voce, ductu, monitis vel latum vnguem deceſſeris: tantùm peritura hęc & in fraudem ducentia contemne.

Quòd ſi etiamnum hęres, & iniecta lacinia delicię te & voluptas

teneant

tenent, consule Epulonem, roga quid factum vellet, quid denuntiatum fratribus, ne decidant in locum tormentorum, magnitudinemque illorum nullo die terminandam, nullo mitigandam; & tibi denuntiari cogita, & monentem sequere. quis potest certiùs illo qui in se experitur infelicium gaudiorum, deliciarum, voluptrtum præmia? qui sanguine luit fatui delectus & sequelæ munera? aut cui credis si non ex ignibus inclamanti, minitanti, monenti, & ignibus æternis? cui fidem, si non illi qui è flammis iamiam sequuturos quos patitur ignes denuntiat? pares culpa ignibus pares sunt. hos si metuis, culpam fuge. & culpam in hoc diuite nullam reperio nisi ab Euangelio narratam in cautelam & monitorium decretum: Epulabatur quotidie splendidé, vestiebatur purpura, cùm annos sibi sponderet gaudiorum & deliciarum plurimos.

Excute

Excute hic vitam tuam, confe cum illius,& exitum intuere vide bis quid sperare debeas,quid time re. pares pœna, qui pares culp sunt; maiores etiam pœna,qui ma iores culpa sunt. vitam moresqu præmia sequuntur. Tu tantùm hic cogita cuius tibi voueas, Lazari an Diuitis, Ioannis an Herodis, Petr an Neronis, Benedicti, Francisci Dominici, Ignatij, an Regum ac Imperatorum Oriente ac Occiden te primorum. & imitare vitam & agones,quorum præmia desideras erras si è coccino & Tyrio Abrahæ sinum speras, si de lætioribus bal neis hortulani maritimíve secessus, si ex altilium enormi sagina,à vino & epulis in noctes protractis, à io cis,risu,gaudiis, & lasciuiore pom pa æterna cogitas. Epulo Lazarusque te docent, & tot magna cœlo inferisque, felicia infeliciaque no mina, vt nullo iam egeas monito re, doctore,ductoreque nullo, tan tùm quorum delectaris exitu,vestigiis

giis insiste, pari donandus prẹmio, aut pœna. vt enim moribus & vita, ita & prẹmio aut pœna pariandus. Docet hoc nos cùm ratio ipsa, tum exempla omnis ẹui. plena vtriusq; testamenti paratura, plena retro vetustas omnis, pleni sunt gentium omnium vernaculi scriptores. nuperaque nouitiaque tot passim documenta, quot capita. vt fatui simus si aliud cogitemus, speremus. nam quid hoc esset aliud quàm precium non exhibere, & ad mercedem manum extendere; hostilitatem profiteri, & pro amico haberi; monitorem oppugnare, & prẹmia poscere; ignauum domi desidere, & donatiua solis post certamina & luctas victoribus debita, imagines & statuas, & qualem sẹculum prẹstare de fama ẹternitatẽ potest, iure quodam suomeritoque exigere.

Verùm graue est sẹculi renuntiare gaudiis, & inter tristia & contempta viuere, seq; infra genus & maiorum

maiorum nomina, aut diuitiarum splendorem epularumque commoda mittere. Et quàm multos in sæculo hoc nequam non pudet pigetque animę corporisque incommodis, adeoque contumeliis enim in causſa votorum ſuorum? quę nó atria nocturnis crudisque salutationibus occupant, ad omnem occurſum maioris alicuius decrescentes, idque ob volaticum aliquod gaudium, laudem, honorem, annuum fors, aut paucorum mensium, dierum, aut horarum. & nos in periculo denuntiatæ per Epulonem æternitatis, & non restinguendarum flammarum, tolerare dubitamus? & victus atq; cultus castigationem offenso Domino prestare cessabimus?

Quid hęres & cessas aggredi cõcessam cœlo medelam? mutæ etiam animæ diuinitus attributas sibi medicinas in tempore agnoscunt. ceruus sagitta transfixus vt ferrum

ferrum & irrenocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno mendedum Hirundo si ex cęcauerit pullos, nouit illos rursus de sua chelidonia oculare: nos ab Epulone ex ignibus denuntiatam medelam non amplectemur? cogitemus illum ex medio inęstuantium ignium flammasque longè lateque vomentium caussam rogatum dicere, Epulæ & delicię, mensę & gaudia ad immites hos ignes nunquam tormenta aut vstionem posituros me compulerunt. fugite. nisi experire lubeat perennatura incendia, & nonnisi cum Deo finienda. nam si montes vrantur, & durant; quanto magis nocentes & Dei hostes? si cùm ardent & deuorantur, nunquam tamen finiuntur non vno loco rupes, quid mirum si nullo ęuo inter inferni flamas Epulonis imitatores & socij decinerascunt? Et verò supremi Iudicis sententiam latam æternam fore, nullique animę semel ignibus erogatæ inferos

inferos patere, satis Dominus argumento Lazari requiescentis, & ingemiscentis Diuitis ex persona Abrahę sanxit. aut sanè alius cum Marcione inueniendus est Deus, cui nullus ignis coquitur in gehenna, nullus dentium frendor horret in tenebris. Sin vnus nec alius quàm noster Deus est, quid exspectas aliam renuntiationem dispositionis infernæ? semel prolata in Abrahamo ex persona Iudicis sententia est. æterna est. tu quam voles partem delige, tantùm delectum hunc ęternum cogita, ęternum meditare, Lazariqúe edoctus gaudiis, diuitis tormentis, vtrisque æternis, certiora tutioraque doctus elige.

Quòd si durum sequi Lazarum, Stoicum imitare. *Cùm voluptatis cuiuspiam imaginem capis, quemadmodum in cæteris, serua teipsum ne ab ea corripiaris. sed excipiat te resipsa, atque aliquod tute spatium capetum vtrumque tempus animo voluta, & qua voluptate potieris, & qua iam*

potiens

potitus pœnitentia afficeris. teque ipsum increpa, eis verò oppone, quantopere si abstinueris gaudebis. Verùm ne expallescas ad Stoici nomen, ad Epicurum te prouoco: ad illũ mollem & voluptuarium magistrum. videamus in quo voluptatem statuat, ad quas epulas hospites suos prouocet. quàm animoso inuitatu, quàm nobili ductu, quàm à Christiano & Euangelico monitu, arbitreris ê veteri eremo, ab Antoniana aut Paullina incude omnem gulam voluptatemque radicitus mactatam. *Hospes hic bene manebis, hic summum bonum voluptas est. paratus erit istius domicilij custos, hospitalis, humanus, & te polenta excipiet, & aquam quoque largè administrabit, & dicet, Ecquid bene acceptus es? non irritant inquam hi hortuli famem, sed extinguunt: nec maiorem ipsis potionibus sitim faciunt: sed naturali & gratuito remedio sedant.* addit, vt videas ad quam voluptatẽ te voluptatis ductor manu

ducat,

ducat, In hac voluptate consenuit non arbitreris Hilarionem loqui aut Macharium, aut ab vltima Thebaide Paphnutium, aut Arsenium? aut nõ erubescis Christiane ad has prouocationes è voluptatis domo & cathedra profectas? vinci ab Epicuro quàm ignauum? non posse Epicurum sequi quàm inglorium? non contentum voluptatibus ab illo concessis quàm erubescẽdum? & in his se consenuisse gloriatur. in voluptate è polenta & aqua nata. quod Euangelium vetet hanc voluptatem Dauidis & Niniuelacrymis conspersam? aut cui talis non ad salutem, & ad Anachoretarum regulam expressa? non arbitraris has mensas Lazaro quàm Epuloni similiores? Epicurus hic loquitur, præit Epicurus, & docet maiorem in his voluptatem, quàm in Pollionis murænis seruulorum carnibus saginatis, quàm in Æsopi ferculo è canoris & loquacibus auibus constructo, quibus sexcentorum

orum patinam conflauit. quàm in illius filio qui post tale patris pulpamentum sumptuosius potuit esurire margarito dehausto. quàm in Asinij Celeris prodigo sumptu, qui in mulli vnius obsonio VI. HS detulit. quàm incentenarij ponderis lancibus Sullæ, in M. Tullij orbe citri quem quingentis nummûm millibus emit, aut Asinij Galli qui bis tantum pro Mauritanica mensa numerauit. magnum virum qui animo suo imperare nouit, qui gulæ frenos iniicere, quique illam ad polentam & aquam deducere potest; tam angustis tam efferam belluam claudens ferculis, totamque voluptatem polenta & aqua circumscribens. Felix circus cui includitur, fortunata cauea polentâ & aquâ strata. hoc est viri, magnique domitoris sui, qui è tam paupere victu, tam de facili parabili, & in quo nulli coqui sudant, nulla culina fumat, omnem voluptatem haurit, quique

quique

quique adeò è voluptate conten
pta voluptatem haurit. audiuim
inuitantem : audiamus gloria
tem, non toto se alsse pasci, Meur
dorum verò, qui necdum ad hu
voluptatem conscenderat, toto,
hoc tu victu saturitatem non pu
esse? & voluptas est: voluptas a
tem non illa leuis & fugax, & sub
inde reficienda, sed stabilis & cer
ta *Non enim iucunda res est aq
aut polenta, aut fruſtum hordeac
panis. sed summa voluptas est, po
capere etiam ex his voluptatem, &
id se reduxisse, quod eripere nulla fo
tunæ iniquitas possit.*

Vbi es Christiane? an sequidu
bitas Epicurum in cibi, potus, &
voluptatum præscriptionibus? cer
tos ille sibi voluptatis magister dies
sub exercitationū suarum initium
in voluptatum indagatione præ
scripserat, quibus malignè famem
extingueret, visurus an aliquid de
esset ex plena & consummata vo
luptate, vel quantum deesset, & a
dignu

dignum quod quis magno labore pensaret. imitare, teque ipsum firma, perpetuosque tibi pares voluptatis dies statue rara parsimonia diuites, soliique fami pellendæ, siti restinguendæ comparatos, nec vltrà audiunt illius discipuli à magistro degeneres, & extra illius decretoria dicta immensum euagantes, *Epicuri de grege porcus.* quid audiemus Christiani, qui cum discipulis illius tam longè sumus ab illius monitis, quàm altè sumus cibo potuque farti, & ignauissimarum voluptatum mancipia.

Quòd si te vocarem ad magna, ad Stilites & Pachomios & eremi cultores, esset fòrs cur horreres: nunc cùm te prouocem ad Epicurum, non ignauissimi pectoris documenta præbes Christiano indignus nomine, qui voluptatis doctorē in voluptatis area sequi pertimescis? aqua & polenta & hordeacei panis frusto voluptatē metitur post sarculos & horteos ligo-

nes, post sudores, & ca[illegible]is exuitùm pectus. & quaret illam Christianus a ferculorum exercitu, in quo cùm delectu laboremus, t m vel sola copia fastidium parit. in quo propedali stomacho, siluæ & prata, maria & flumina terrarumque vltima fatigantur.

Adiiciamus Epicuro Stoicum. *Non est nunc quòd existimes me dubitare te velle ad modicas cœnas & pauperum cellas, & quidquid aliud est per quod luxuria diuitiarum tædio ludit. Grabatus ille verus sit, & sagum, & panis durus & sordidus. Hoc triduo & quatriduo fac, interdum pluribus diebus: vt non lusus sit, sed experimentum. tunc mihi crede Lucili, exultabis dupondio satur, & intelliges ad saturitatem non opus esse fortuna. hoc enim quod necessitati sat est, debet etiam irata. tam facile exinde erit tibi illud pati semper, quàm aliquando experiri.* Sacra monita, & tanquam ab Apostolico calamo fudata. quid addubitat Christia-

Christiane? durior Lazarus est? severior Stoicus? Epicurus opinione tua asperior? quid exspectas? Epicuri veriorem famam? non ingrederis hac via. Stoici nomen? non imitaris documenta. Lazari cœlum? non insistis vestigiis Lazaro calcaris. aliud ergo tibi cœlum nouus Dædalus fabricare, aliam gloriam, sed & Deum alium tibi tuisque nouus demiurgus conde. aut si Epulonis mensa & purpura delectaris, quid nisi Epulonis exitu coronaberis? in quo tristissima denegatio vel digitalis roris, æternùm infelicissimis insonat auribus, nulla in omnem æternitatem remediationis exspectatione, nulla mitigationis.

CAPVT X.

DETRACTIO. *Videbis hac vna plures, omnibus retro bellis, cecidisse, nec alia re promptiùs armari*

manus, iuueneſcere gladios, ſæua recrudeſcere vulnera, ſanguine ſaturandos. Hinc non ſemel ferrum, non genitori, vberibus, aut vtero parcens: nec cœlo iam donatis. ita hæc generis peſtis, irrito licet, daci tamen & præſidenti cœlos petit, cœlo venena iac tur: maiora auſura, nec lingua à conditore temperatura. Hoc lum. æterna hæc linguæ & morum vulnera eſſe. ita ſemel uiſſe, æternum eſt. deterius etiam cùm nullo aut auro, aut precibus aut ingenio, venenum hoc eluitur vbicunque iniecit manum, per ennat.

INANISSIMÆ etiam elocu tionis genus aliud. qua cogita ta, dicta, facta quiſque ſua, proba improbáve fuerint, tollit in maius damnat aliena. ſua quæcunque illi demum probat, vt ſelectiſsimę no tę; aliena improbat, vt non ſatis ſtolidi

stoliditatis fæce detersa, vt immersa etiamnū improuidæ mentis furfuri. hinc plena omnia laudis suæ, damnationis alienæ. dixerit fecerit que improbanda omnibus, laudata tamen cuique consilia factaq; sua. dixerit fecerit alius probanda omnibus, illaudata tamē abibunt. quòd si rem non possunt, mentem incusabunt, & de mente sua alienam arguent. quid non potest liuor, quid non inuidentia alienæ laudis æmula, calcaneo illius insistens? quid non amor proprius, cùm quisque tantum decessisse sibi arbitratur, quantum accessit alteri; tantum accessisse, quantum decessit alteri. ignari nos eadem linguę & calami mensura feriendos, qua in alios insurgimus, pari per omnia damnatione, improbatione pari. hinc nulla propè colloquia sine aliena mensa, veste, moribus, adeoque omnis ferè sermocinatio de extranea domo, vita, studiis; tot iudices habituri quot capita. ita

dum nostra laudari volumus, damnamus aliena, quasi aliena damnatio gradus sit ad laudum nostrarum verticem, ad quem nemo nisi per illam veniat.

Intuere, quàm cæco rapiamur impetu, quàm improuido. factum omnes alienum improbant, suum nemo videt; adeoque arrogantiam suam submissionem deputat. cæcus amor sui est. ambitiosam ornatus supellectilem, in aliena domo & corpore quis non improbat? suam quis non probat, & inter prudentis parsimoniæ exempla ponit? non habet oculos ambitio domi suæ: vicinam domum inoculauit suis. Quàm fatua æmulatio? quàm stolida ambitio est? non patitur parem. sola videri, laudari vult sola. & dum reliquos damnat, non videt eadem se sententia à reliquis percuti, cùm in pari maioréve delicto sit. misera humana conditio, tot pati iudices! etiam patrem, matrem, filios, coniu-

gem,

gem, famulantium gregem. dura sors, & acerba nimis, in materno non rarò lacte & vbere, ac propè etiam vtero pati iudicem; in filio filiaque vitæ tuę non infima parte, pati iudicem, in coniugali toro iudicem, in cordatissimo patrio affectu iudicem. & iaculamur interim amorem, adeoque sanguinem sanguine testamur. possunt tam pugnantia in vna stabulare mente, amor & damnatio? aut non mentitur amor qui damnat? laudat si amor est, adeoque vt etiam non probanda laudet; aliquid enim cæcitatis omnis amor habet, etiam in prudente. vt licet damnanda in amico videat, mitiget, extenuet, eleuetque in tantùm, vt sæpè nil quod damnetur reliquum faciat. hinc illud: *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.* sin modis omnibus damnanda viderit, excusationū mille modos reperit, solers omnis amor est, Prou. 11.

vramicum tueatur, nihil inausum relinquit. & ego credam hunc patrem, matrem, filium, coniugem qui damnat? credā amare qui perpetuo confodienda silentio, vulganda putant? qui insepeliendas tenebris, reducunt in solem? quibus nec vbera, nec thorus sanctus est, credam amare? quanti periere, patre, matre, filiis, coniuge propalatricibus? quid erit in terris iam sanctum; aut quos speramus fiducię portus, si in sanguine, vbere, thoro tempestas metuenda est? si in patria, matria, coniugali mente naufragia timenda sunt?

Parcit
Cognatis maculis similis fera. Quā do leoni
Fortior eripuit vitam leo? Quo nemore vnquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cùm tigride pacem
Perpetuam. sæuis inter se conuenit vrsis.

Ast homini ferrum letale incude nefanda
Produxisse parum est, neque enim nunc sufficit iræ
Occidisse aliquem;

In parentum læuiunt viscera diræ linguæ, in coniugalem thalamum funesta labra, in consanguineum sanguinem ora nefanda, fuerunt qui hostilia

Pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi.

quasi iræ pacandę victima talis caderet; nos nec à propinquo sanguine abstinemus. in quemcunque enim ferocire has linguas videmus, nulla verecundia tori, nulla reuerentia patria, nullo filiali pudore, nulla erubescentia matris. nihil enim nunc tam pudendum est, nihil cum tanto periculo coniunctum, quod improba licentia vulgare metuat. ita mutuis dedecorationibus cõsperſi, mutuis dentibus laceri, magnam implere possumus tragœdiam. vt meritò Poëta exclamet;

Quis tam crudeles optauit sumere pœnas?

nam ille quem viderat

Læerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populatæque tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares,

ludus est, si cum hac linguarum sæuitia compares. in vno enim stetit hęc crudelitas Deiphobo. at lingua virus omne, crudelisque feritas transit in posteros. non contenta in vno sæuisse capite, omnem simul progeniem vno crudeli configit iaculo, nullo sanguine satianda: inexplebili enim siti rapitur in nepotes, & quotquot amicitia, societate, aut vtero iuncti, etiam in retro maiores. ita vno venenario telo omne genus liuet, omne tingitur in mortem; & mortem omnium auditorum auribus, aut laborum oculis renouandam, vtrot iam sint mortes quot oculi, quot aures, cùm in omnium oculis auribus-

ribusque repetita cæde cadat cui detrahitur.

Et quærimur si quid grauius à Principe, si quid ab illius tribunali venerit? & in mutuum sęuimus sanguinem ferociùs. nisi fortè mitior sit lingua gladio. crudelior est. ille semel finit, hæc æternat, nouisque perpetuò auctibus surgit violentior. & quod oriente Sole vxore garrula culex erat, vicinorum diuite incremento camelus in meridie erit, in occidente Pyrenæi saltus. quod aurora prima ouum vnum fuerat, coniuge maritalis thalami secreta retegente, cadente die millia fuerunt: tam fœcunda ouorum mater nocte vna maritus fuit. & noxia plurimùm fœcundiùs crescunt, insolenti auctu meliora suffocantes. nec stat hęc improba libertas in vno capite, abit in posteritatem: tanquam si vno linguæ gladio sequutura seces, in necdum nata sæuiens, vt in semine iam tum suo sentiat arbor,

necdum virgultum, necdum radix. ita ante vitam vulnera impressa, ante venas fluit sanguis, ante animam dolor adnatus. infelix homo! quo se tutabitur ab hoc ense? non si in rupe sederit alta, in fraq; sc nubes videat labentes, fulmina, ignes, grandinem iaculantes; non si in profundo maris, totoque cum Iona tectus elemento; non si in denso, ipsisq; propè ferisinacceſſo nemore; non si in torrida & arente eremo, inter mediaçstibus emedullatas arenas, soliqueSoli notas, nunquam effugiet hæclinguę iacula. sit licet velocior Euro, Aquilonibus fugacior, sequentur fugientem, ridentque aquilæpennas, tigridis cursum, fontium supernè labentium impetum; rapidissimorumque fluminum fluxum pigritiam arbitrantur & inertissimi corporis conchales ductus. iam propugnacula, & quidquid hostilem fallit manum, exuaque ferri metum natura aut ars posuit frustra

frustra linguæ posuit. nihilque tam densa asperaque septum rupe, nihil tam altè abditum, tam in sublimi repositum, quod non momento citiùs penetret, audax, intrepida, fugere & pauere nescia, ignara rubescere. mare nauigas? sequitur nauigantem, seu te malacia, seu decumani teneant fluctus; seu secundo, seu aduerso raperis vento; seu integra naui, seu tabula veheris; seu mergeris fluctibus, seu ludis in æquore. bella petis ciuilia? plus linguas metue, quàm hostile ferrum. nam seu ciuium madeas sanguine, seu ciues tuo, plus ensibus timendæ linguæ sunt, animam fodicant; contentum corpore ferrum est. petis extera? adhæret lateri comes, etiam in vltima barbarie senties præsentem. Indos adi, Chinas, Iapones, orbemque nouum, aderit socia. terga dabis fortunæ ludibrium? plures te linguæ quàm sequentur hostes. victor redibis, & triumphis maior patriam

calcabis terram, hostium securus: plures te prosequentur linguę, & in medio triumpho, post subactos hostes, in alta iam pace, vulneribus locum reperient. denso miles circumsteterit agmine, tegat vmbonibus; medias penetrabunt acies, & inter ferri minas sanguinem potabunt ducis dirissimæ sanguisugę, nunquam satiandę. quid quòd nec cadaueri parcant? sæuiunt in monumenta, conduntúrque sepulcris ipsis; nec in illa requie requiem permittunt. ferrem, si inferno parcerent, at ne pœnis quidem satiantur æternis. quasi leue omne tormentum sit in ignibus semper ardentibus, nisi iacula comitentur immitis linguę, quæ virulento morsu transadigant infortunatam animam. maius etiam narro malum, & imprudentis audacię documentum certum. non cœlo parcit, & vehementiùs etiam post coronam sęuit, liuore pharetrata.

Tenta-

Tentauere, nefas! olim detrudere mundo
Sidera, captiuique Iouis transferre Gigantes
Imperium, & victo leges imponere cælo.

par propè linguarum audacia. cœlo iam adscriptos in bella vocant, in inglorium puluerem, in linguarum circum, & detraherent loco si quo modo concessum. ea vis animo, ea inuidentię insolentia, temerario ausu cœlum petere, cœlo iacula minari, cœlo inferre. & tyrannorum ferè ingenia sæuiunt in viuos; vbi ad mortem ventum est, sæuitia cum anima ponitur. sed & ara illa Taurica

Tantùm immolat: vlterius nil
Aut grauius cultro timet hostia.

Ita quæ videbantur implacabiles iræ, nunquam explenda odia, morte corruunt; quæ etiam in inimicissimis commiserationem pronocat, cogitantibus humana, nec quidquam hosti euenisse quod

non

non ipsis posset. at insatiabilis hæc linguæ improbitas cum funere videtur nasci, cum morte reuiuiscere, roburque viresque cum cinere induere. vt arbitreris antè vixisse inermem, post funera armatam, quasi pro clypeo illi sarcophagus, pro galea sepulchralis lapis, pro ense & iaculo cadauerina fascia sit. sæua crudelitas sæuire in mortuos, at fœminei pectoris, ferocire in non repugnantem, in longè positum; vanissimæ mentis, prouocare absentes & vltra mare positos; ambitionis ridendæ, extra vulneris spatia, extra metum dandi sanguinem in longè positum hostem insolescere.

Ex horum numero sunt qui in conuiuiis exercitus ducunt, castra è thoro metantur, militem è thalamo mouent, quando cum hoste conferendum, quando vallum ducendum, quando acies, quantis firmanda castra præsidiis inter pocula mero madidi docent, quibus si ho-

si hostem vltra Apenninum ostendas, si inimica agmina vltra Pyrenæos posita, domos suas trepidi cogitant. sin propiùs inimicam aciem designaueris, in vicem humani coloris, pallor succedit inferni, perque vniuersa membra frigidus dimanat sudor. vt de his iam tum decantatum arbitreris,

Refugiet timido sanguen, atque exalbescet metu.

Hi omnes lingua prompti, factis segnes, plus semper ore quàm manu circumferunt. Quare vbi videris ad maledicta expeditum, ad obloquia fortem, ad conuitia promptum, multa deuomentem, nullum impune transmittentem; cogita vanum, timidum, cui omne robur in lingua, cui in ore armamentarium, in labris enses & iacula sunt, cogita fœmineo ingenio, iudicio nullo, vt cuius omnis sapientia natet in labris, omne ingenium hospitetur in ore, omnis eruditio peregrinetur in dentibus.

In

Eccl. 5. Prou. 10. *In multis enim sermonibus inuenietur stultitia.* Et: *In multiloquio non deest peccatum, qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.* Nec vllum certius fatuitatis signũ, nulla amentiæ testatior hedera, ore soluto, lingua libera, quam nullum coërceat frænum, nulla teneant vincula, quæque vaga licentia per omnium domos, mores, vitam, studia grassatur improuida. huic enim consilium totum in dentibus, deliberatio in lingua, iudicium in labris fluctuat. & ferè hæc coniuncta: verborum multum, sapientiæ parum; contumeliarum multum, prudentiæ modicum; detractionum multum, amentiæ plurimum. plus namque loquuntur quàm cogitant, deliberationes in his dicta, consilia facta sunt. nec potest esse consilio locus, vbi omnis Senatus in ore est: nec prudentiæ, vbi omnis deliberatio in lingua est. prouidentia nulla, circumspectio nulla, cùm antè dicta quàm cogitata

cogitata sunt, antè labia egressa, quàm ingressa pectus.

Nihil etiam in republica nocentius istis, nulla grauior pestis, nullum præsentius venenum, nullum virulentius toxicū, nulla acerbior calamitas, & plurimùm in optimos quosque funduntvenena, iaculantur virulentę linguę toxica. Hinc cùm aliqua diligentior sæculi scrutatrix ornatum omnem cultumque superuacaneum obseruat libidinum inuitatorium esse, eoque nomine intra modestię se portum recepit: tanquam si naufragio erepta mari & naui repudium dixerit, exemplo de semine hypocritarum audit. nec mirum: dolet enim hostis tot in vna virgine speratæ mortis opera dirui, tot damnationis titulos eradi: itaque per famulas sibi linguas oppugnat, obsidet, si qua posset non iam oculos concupiscentia ferire, aut animum sæcularibus illecebris irretire, sed conuitiorum formi-

formidine euertere, obloquiis detorquere.

Quòd si quę etiam tota in Dei voluntatem concesserit, maturitatemque suam illi sponsauerit, insurgunt linguæ, & melius aiunt esse nubere quàm vri : incendia sua testantes, quasi ignibus æstuarent omnes solis nuptiis restinguendis. Et quale hoc bonum est, quod non potest videri melius, nisi pessimo comparatum ? quodque non tam bonum est, quàm genus mali inferioris, quod ab altiore malo obscuratum ad boni nomen impellitur? melius nimirum est vnum oculum, aurem, manũ, pedem, quàm duos amittere. At verò quanto melius nullum amittere, ita melius nec nubere nec vri. cùm solum nubere melius sit, quia deterius est vri. sanè hæ voces non veniunt nisi ab ingenti fornace, qua æstuant impro-
Iac. 3. bę hę linguę, *inflammatæ à gehenna*, quę cùm omnes suo metiantur animo, ignibus suis, scabie sua, eadem

remedia

remedia restinguendi ardoris prę-
scribunt reliquis.

Sin alia murum sexui suo obstru-
xerit, vt nec suos emittat, nec alie-
nos admittat oculos, sibi, Deoque
soli nata, statim insusurrant: in hac
inuenta voluntario se carceri in-
cludere? & quis carnem suam odio
habuit? quis prudens renuntiauit
gaudiis? audite Dominum? *Qui* Ioan. 12.
*amat animam suam, perdet eam: &
qui odit animam suam in hoc mundo,
in vitã æternam custodiet eam.* pru-
dens negotiatio est aliquid amitte-
re vt maiora lucreris. quòd si cor-
pus parietibus cingitur tanquam
voluntaria custodia, omnia tamen
spiritui patent. vagare spiritu, spa-
tiare spiritu licet, non per stadia o-
paca, aut porticus longas in quibus
lasciuientium oculis & scurrilibus
percutiantur linguis, viam deinde
proponunt sibi non illam amœ-
nam latamque quę ducit ad interi-
tum, sed arctã quę ducit ad Deum.
quam quoties deambulant, toties
nullis

nullis parietibus concluduntur: ferratis miseri. nihil crus sentit in nervo, nihil ceruix sub securi, nihil corpus in flamma, cùm animus in cœlo est. & quid vos speratis? de deliciis ire ad cœlum? de papilionibus miles, vbi omnis duritia & imbonitas, expeditus & substrictus, non de cubiculo in aciem procedit: etiam in pace campum decurrit, molitur fossam, bella pati edificit: ita Dominus suas seponit, agoni indurat, cœlo parat, dum illas segregat ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent: idem in athletis iuuenies, cõtinentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu iucundiore, tanto plus de victoria sperantes, quanto plus in exercitationibus laborauerint. & hi quidem vt corruptibilem coronam consequantur; illæ vt æternam. claustra pro palæstra interpretantes, vt ad stadium tribunalis bene exercitatæ producantur. virtus duritia extruitur, mollitia destruitur.

struitur. & temperat tamen Dominus omnem hanc exercitationem ingentibus gaudiis. nam quæ maiora sunt, quàm quæ ab animo pacato, nullius sceleris conscio, nulla formidine fatigato, nullius curis anhelo, proficiscuntur? nihil hic metuit quia nihil sperat, nihil timet quia nihil ambit. soli Deo sponso suo iuncta. extra quem nulla illi delectatio, voluptas nulla.

Iuncta matrimonio fuit alia. mors compare priuauit; nisi ad secundas euolauerit nuptias, sentiet has linguas. nullæ enim loquaces, otiosę, vinosę, quales ferè hæ linguę, de vniuiratus bono bene loqui norunt. Deus enim talibus, Apostolo teste, venter est, ita quę ventri propinqua.

Pœnitet aliquam errorum reperta veritate, pœnitet amasse, quę non amauit Deus: sacco proinde & cineri inuoluitur, animum mœroribus deiicit, continuò linguæ.

satis

satis Deum habere, si corde & animo suspiciatur, licet actu minus fiat, hoc est saluo metu & fide, peccare salua videlicet castimonia matrimonia violare, salua pietate parentibus venena temperare, addam salua venia in gehennam detrudum saluo metu peccatur, quia verò ineptum est delictorum veniam sustinere, & pœnitentiam fugere. hoc est, pretium non exhibere, ad mercedem manum emittere: pœnitentiæ enim compensatione impunitatẽ promittit Deus.

Addictior aliquis poculis, conuiuiis, lusibus lasciuioribus, nunquam misit omnibus, Deoque sugulam mactauit, pastumque iam potum non vt antè ventri, sed animæ nouit, ieiuniis preces alens: ille hisce linguis fatuus est, miraris, cùm hisce potus & cibus Deus sit, venter cœlum, pulmo templum, aqualiculus altare, sacerdos coquus? apud quas fides in culina calcet, pietas in cacabis feruet, spes

inferculis iacet. quibusq; ille sanctior qui conuiuandi licentior, qui obsonandi pollucibilior, qui calicibus instructior. Verùm ab Apostolo hæc veniunt, qui macelli claues tradidit, permittés esui omnia, in quibus & cellarum claues comprehendit. Non tamen, in macello aut cellis Dei, regnum inclusit. *Non est enim regnum Dei esca & potus.* Rom. 14.

Neque sanè nouum cuiquam videri debet tam insolenti petulantia in optimos quosque insurgere has linguas dæmonis & ministras & alumnas. quis enim cùm æmulum suum videt non patitur? aut quis oculus ferre potest, quẽ mens non potest? ingentem cùm delictorum funem secum trahant, vellent omnes implexos; cùm innumeris scelerum retibus contineantur, vellent omnes implagatos. natant libidinibus tanquã in ingenti Oceano; dolent subductas naues in portum. lasciuiunt verbis,

duranturque fronte pudore exu-
to; hinc illa nata odia in verecun-
das genas, castos oculos. indor-
miunt mensis & poculis, vt nisi no-
ctes ebibāt ieiuni sint: hinc illę vo-
ces, Sic diem ducam, sic noctem
patera, donec

Iniiciat radios in mea vina Deus.

inde liuor & deus Satyrus in om-
nem gulæ frænos induentem, in
omnem cibi intēperiem, ma-
cerationem. neq; nouum temperantiam ab incontinentia & crapula rideri. nimis magnum campum inuidentiæ virtus donat. intuere discrimen; quales nos ante cibum & vina, virgine etiam tum ore, siue humana, siue diuina tractanda sint, si non mente cordeque multo valentiores promtioresque, quàm cùm totum illud domicilium interioris hominis cibo refertum, vinoque inęstuans pręmeditatorium efficitur fœditatum, in quo plane nihil iam in proximo superfit, quod ad lasciuam sapere, & in omnem

diffon

diffundere libidinem, nulla ætatis, dignitatis, maiorum, posteritatis, opum, corporis animique periculorum habita ratione. & quotusquisque tunc meminit Dei, cùm ipsum sibi hominem excidere solemne est? hinc ergo illæ linguæ vino madidæ ebria deructant verba, tanquam à recenti crapula in omnem continentem. reliquas pari disquisitione virtutes cogita, videbis à pugnantibus vitiis pari insolentia oppugnari. neque quisquã in illas armauit dexteram, nisi vitiis plenus. reddit vas quod continet. arma ab armamentario exspecta quæ indidisti. alia si speras falleris. idem de maledicis hisce susurronibus exspecta. quos ego tanquam Reipublicæ pestes in terrarum vltima relegandos censeo. sæuimus ferro & fune in latrones & fures. nulli nocentiores calumniatoribus sunt. *Super furem enim est confusio & pœnitentia: & denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem* Eccli. 5.

odium & inimicitia & contumeli
Sæuimus securibus & igne in pe
duellionis reos, nulli perduelle
criminatoribus nocentiores fum
sæuimus in homicidas, in sacrile
gos, raptores, incæstuosos, ince
diarios, omni pœnarum genere;
à nullo propè scelere maiora tim
ri, maiora dari damna possũt qua
ab hoc vno. nullum proinde tu
graue tormentum, non si mugi
homo taurus, quod æquari hu
sceleri possit. omnisq; in hoc cr
mine crudelitas nimis benigna e
omne enim carnificis ingeniu
superat. ferro & ignibus faucia
dum in hoc malum, & à radice
uellendum. odit Rempub. qui p
cit, hostis Dei est qui simulat. I
Rom. 1. mus sententiæ Apostoli: *Implet*
omni iniquitate, plenos inuidia, c
rentione, dolo, malignitate, susur
nes, detractores, Deo odibiles, co
melioſos, quoniã qui talia agunt d
ni sunt morte: & non solùm qui ea
ciunt, sed etiam qui consentiunt
cien

cientibus. Viderint qui in Republica hos ferunt qua pœna Apostolo iudice feriendi. habemus & interminantem Prophetam Regium: *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum. dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem, & euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.* Etiam radici & semini interminatur detractoriæ linguæ. in reliquis sceleribus pœna cum delinquente finitur, in hoc etiam in nepotes abit. vt arbitrari possis lezabelis progeniem. cane ab hac contagione quisquis es, *Acuerunt* enim *linguas suas sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum.* quis cum serpente & aspide habitabit securus? quis prudens iunget dexteras? *Remoue à te os prauum; & detrahentia labia sint procul à te. Omnis enim natura bestiarum & volucrum, & serpentium, & cæterorum* Psal. 51. Psal. 139 Prou. 4. Iac. 3.

domantur, & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero. venena tange, venena bibe, & audias sanus, valens, vegetus. sed & *lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis* omnis iniquitas tanquam in materia sedem in hac fixit. fuge. etenim *generatio* hæc *pro dentibus gladios habet. exacuerunt gladium linguas suas.* ne fide. plus non tantum *aloës quàm mellis habent,* sed plus necaturi toxici. blandiuntur genis? lingua perimunt. & sub ridentibus labris teguntur enses. nulli te horum crede. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* de quo meritò gloriatur Dauid & exculationem innocentiæ prætexit: *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. os* enim illius *abundauit malitia, & lingua* illius *concinnabat dolos.* & seriò monet: *Ei qui renelat mysteria, & ambulat fraudulenter*

Iac. 3.
Prou. 30
Eccli 1
Ps. 100.
Psal. 49.
Prou. 20

& dila

& dilatat labia sua, ne commiscearis. Vir namque *impius fodit malum, & in labiis eius ignis exardescit.* pro- Prou. 16.
cul ab his ignibus etiam eminus æstuant, & ferè plus ardoris in remota quàm in propinqua iaculantur, & fidentiùs in illa noui eunt Aruntes. veriti enim pedem pedi conferre, eminus vestigia lustrant, telaque pauidi ex insidiis coniiciunt, diffisi aperto concurrere Marte. insidiantur proinde calcaneis nocentissimi scorpij. si quis absens, si quis longè positus, si maioribus distentus, erumpunt hę linguæ noctu tamen plurimùm venena spargentes. ita tenebras quærunt dum figunt, dum offendunt, vt securiùs mittant. nam cùm sciant multos simplices & rudes, & de sola æmulatione credulos, instillant linguæ virus: ac primùm trahunt adhuc caudam, nec palàm venena propinant, sed miscent saporatis, & dulcibus id malum iniiciunt; itaq; primò quasi in vacuũ

flagellant: propiùs deinde accedunt; hæccine vera esse? non credam. maior illius virtus, quàm ut in illam cadant tam indigna. sunt tamen qui constanter narrent, qui scribant. verùm odia quid non possunt? & viri sunt à quibus habeo non è plebe. nec quisquam tantus in quo non aliquid quod meritò reprehendas. dandum alicui quid dignitati. & quæ non ætati quędam concesit viris etiam maximis? humana hęc sunt, virtutibus vitia misceri. & doleo bona fide hęc non à mulierculis, sed à viris magnis de illo viro & dici & credi, cui multis nominibus boni omnes obstricti: & ego non vitimus debeo, quanquam non per omnia fidem adhibeam: nec vellem verbis hisce assensum præberi, quibus nec ego præbeo, tantùm scripta dictáve narro. fides sit penes illos: vnum dicam. nollem dici. Ex his initiis, maximè fauditores nacti curiosiores, vt fere

nouo-

nouorum auidi & magnorũ æmuli sunt omnes, itur in apertum maledicentiæ campum, & plenis iam habenis decurritur per hunc criminationis circum. sub aliena tamen plurimùm persona, vt hoc tanquã peregrino tecti mantello, nihil de sua, sed de aliena penu produxisse videantur, iacula de vicini pharetra. ita vulnera infigunt telo non suo, manu sua; verbis non suis, lingua sua: & tamen, si verum liceat, & telo suo, & lingua sua, licet alterius tecta velo, tamquam nube, quo potentiùs infigant ferrũ, cùm incautiùs excipitur vt ab amica manu & ore. cogita Abner dolo percussum à Ioab: cogita Amasam sub mentito osculo gladio corruisse.

Et licet vera interdum narrentur, tamen si illa non nota passim, crimine nimirum necdum vulgato; non est cuiusuis, quæ in illum diem tecta, quæq; domesticis clausa parietibus, in publicum, ac quasi

solem pulueremque deducere. ne-
que enim aut domini nos, aut iu-
dices famæ nominisque sumus a-
lieni, vt eripere illud liceat, & ir-
rogare hac pœna delinquentem.
inflictio pœnæ, diuulgatio est: qu
vna fama spoliatur sua qui deli-
querat, famæ etiamnum suæ domi-
nus, quo exui à solo legitimo iudi-
ce dominio poterat. idem vide-
mus in omni pœna & crimine;
promeritus aliquis mortem, exi-
lium, bonorum proscriptionem.
nemo hunc priuatus aut exuat bo-
nis, aut patria domoque pellat, aut
morte mulctet. iudicis hæ partes
sunt. Quòd si quis contrà faxit, &
iudicis non concessam sibi priuata
auctoritate personam induat, legi-
bus subiaceat, iisdemque cum de-
linquente pœnis. idem de detra-
ctore cogita. priuatus nemo delin-
quentem fama spoliare potest spo-
liat qui euulgat. vitâ illa compa-
ratur, & apud plerosq; vita potior
est. hæc enim si eripitur, maximè
cùm

cùm priuata manu vni ferè eripitur, famæ direptio abit in posteros, in sanguine, amicitia, aut quocunque vinculo iunctos, adeo vt in delinquente, innoxij plurimi puniantur, pœnæque partem ferant criminis insontes. hanc pœnam quæ in innocuos transit, nemo priuata auctoritate sine ingenti scelere irrogare potest. Iudex etiam non nisi matura cognitione, solidis certisque formata testibus. neq; coniecturis ludendum in re tanta, aut inani è suspicionibus nata narratione, magnitudo rei maiora certioraque postulat, vt talionis omnino pœna plectendi sint, quicunque aut nullo aut vano nixi fundamento, criminis etiam apud iudicem reum deferunt, aut propalant non testata. nã licet cui temerè impositũ crimen est, iudicio purgetur, aut clara mendacis criminationis retectione, semper tamẽ impressũ multorum animis vulnus manet, aut, superato licet vulnere, cicatrix,

priorem venustatem dedecorant; aut vt minimum, vestigia quędam timidę mentis, cogitantis potuisse aliquid tantę delationi subfuisse: inde diffidentia, & trepidationes anxij pectoris, restrictior fides, languidior ęstimatio, commendatio frigidior, lentior fiducia, & verò quòd ab omnibus aut plerisq; creditũ temeraria vulgatione, id nunquam ab omnium animis eluetum quacunque etiam purgatione accedente. quæ nunquam tanta pernicitate omnium opplet aures, quanta prior illa nominis famęque diminutio, quocunq; auctore, mas fœminâve fuerit, sparsa. rem ferè cogitamus, rem pensamus, cuius grauitatem magnitudinemetimur, auctores lenti tacitique transimus, nec quisquã satis acerbitatem magnitudinemque ponderat, qui non aliquando simili improbitate percussus, damna linguarum tulit. ille expertus dicit quàm altè sedeat hoc malum; quàm nulla medica

manu

manu publica priuatáve in integrũ à tanto vulnere valetudo reſtitui poſsit, etiam apud cordatos proboſque: ita ſemper aliquod veſtigium magni aliquando vulneris, omnis calumnia relinquit, quod etiam nolentum animos occupat, excluditq; fidentiam ſecuritatemque priorem: euenitque his quod in tenebris, aut ſanè quod caligantibus oculis, licet in magna luce, ambulantibus: timidè enim veſtigia premunt, licet manu aut baculo adiuti. ita vbi ſemel mens criminationum nube cincta, luminis ſui radios repercuſſos ſenſerit, quocunque die intercurrente, quocunque valido vento diſcutienda nube nebulaque nato, aliquid è priſtino terroris, ſi non aliquid noctis remanet, quod quamuis diſcuſſum probiſsimus quiſque optaret, memoria tamen prȩteritorum animũ non rarò pulſat, territat, & ſuſpenſum dubiumq; tenet, vt nõ pariquo antè fiducia in eum qui cõtumeliã paſſus, rapiatur.

Huc accedit, quòd semel calumnia sparsa, per innumeros leui momento vagata, plurimorum occupauerit animos, ad quos fòrs nullo vnquam tempore purgationis nomen perueniet. nocitura enim quæque opulento semper fœnore incrementa sumunt. quantum verò insequens purgatio diluit, tantum, imò cumulatiore longè progressu priora serpunt, fœcundioribus accessionibus diuitata. ita fit, vt dum pauci certioribus instructi melioraque credant prioribus depulsis, plures prioribus inhæreant, aut quòd sequutę depulsionis signari, aut quòd tam altè prima impressa, vt nullis quantumuis potentibus postumis euelli remediis valeant, validiùs primis inhærentibus, & de firmitate ac prioritate, sede semel occupata, certantibus, àqua depellere non nisi Herculeæ sit dexteræ. ac nec illa ita eradet quæ cælata lingua tanquam chalybes animis tanquam incudibus, quin

propius

propiùs intuentibus, priorum, si non vestigia altè impressa, vmbræ tamen quædam maneant, plenam lucem excludentes, aut saltè non admittentes hanc tam libero vt antè campo aut area. Lusisse ad hoc credas Lyricum.

Quo semel est iusbuta recens seruabit odorem
Testa diu

sin expellas licet omni conatu, *tamen vsque recurret*, si non res ipsa, timor tamen, ac quædam quasi nebula, quę quanquam non omnem excludat Solem, aliquid tamen de splendore eripit, & obfuscat priorem lucem, nec permittit tam claris vt antè radiis terram suam, animos dico, lustrari: subterlabentes enim hæ nubes aliquid caliginis interspargunt, nec patiuntur toto ad nos corpore lumen descendere. omnium horum caussa, primi seminatores, qui vicinum agrum tam densis superseminarunt zizaniis, vt optima quæque

domi-

dominumque felici fœcunditate beatura à superseminatis suffocentur. adhibe quascunque voles manus, antè vtraque euelles quam à zizaniis purgabis. nimis enim validè implexa frugiferis maligna sunt.

Hisce proinde superseminatoribus quid publicè, quid priuatim debemus? cruces & ignem. prudens Respublica quę non parcit sæuire in illos, mederi est (& hęc sola pietas fortiter à Republica arcere) etiam ignibus in has leuis fidei paleas, quando mitiora non prosunt. ingens verò crudelitas esset permittere vt liberè ac in quæ volunt promiscuè grassentur, paullo pòst Rempublicam ipsam euersuris in arma & ciuilia bella coacturi, in mutuum sanguinem. nam qui à priuatis nullo repugnante felicitate hęc mutuarum dissentionum initia tanquam maiorum molimina fundamenta posuerunt, secundis successibus elati, & ab ipsa felicita-

te au-

se audaciam sumentes, eadem in Rempublicam audebunt. priuatorum damna impune data, via sunt ad publica. neque enim quisquam primo ausu summa petit: nec ad extrema scelera nisi per media decurritur: à tenuioribus animus induratur vt assuescat depudere, audere: inde vires sumit crescitque audacia, & ad maiora citato cursu properat, ad summa demum conscenturus, vnde plurimùm precipitio locus est. quem ergo videris priuatim multa moliri, in omnes linguæ & verborum petulantia insurgere, multorum hinc inde nomina famamque spargere; hunc tu cogita nata quacunque occasione eadē publicè ausurum. ac maiore etiam impetu; cùm plus spei à publica quiete turbata quàm à priuata sperare meritò possit. cui quid ego imprecer, nisi illud magni Regis. *Non deficiat de domo* criminatoris huius *leprosus, & cadens gladio, & indigens pane*, nec patitur

4. Reg. 3.

Domi-

3. Reg. 2. Dominus deduci *canitiem eius p*
cificè ad inferos, eò quòd effudē
sanguinem, vitam, famam, no
menque in omnem posteritatem
melioris se in pace, & posneri
nimam maioris se in ludibrio
Iob. 20. omnis æui. *Deuoret illum ignis q*
non succenditur: affligatur *reliqu*
in tabernaculo suo. reuelabunt cæ
iniquitatem eius, & terra consurg
aduersus eum. Detrahetur in die fu
roris Dei hæc est pars impij à De
& hæreditas verborū eius à Dom
hęreditas venenantis linguæ, &
per aspidem & colubrum intox
Iob. 24. cantis proximum suum. *Maled*
ctafit pars eius in terra ad nimium
calorem transeat ab aquis niuium,
vsque ad inferos peccatum illius, ob
liuiscatur eius misericordiæ: dulce
do illius vermes: non sit in record
rione, sed conteratur quasi lignum
fructuosum. mentitus est enim
animam suam, & euertit in dol
semitas virtutis. demolitus est v
neam alienam, reddidit *mala p*
bon

bonis, ideò *non recedet malum de do-* Prou. 17
mo eius. sed reddat illi Dominus
septuplum in sinu illius. impro- Psal. 78.
perium quod exprobrauit, alteri ca-
dat in verticem illius. inducat su-
per eum *diem afflictionis*, & *duplici*
contritione conterat illũ Deus, quia Isa. 17.
non est *egressum de labiis* illius *re-* Isa. 40.
ctum, & *completa est malitia eius* in
verbo oris illius: suscipiat *de manu*
Domini duplicia, pro eo quòd eme-
dullauit animam proximi sui; in
viperio halitu oris sui, exiccauit
ossa, & exsuccidauit carnem pro-
pinqui sui in æstu labiorum suo-
rum. extendit gladium labij sui
in generatione & generationem,
non pepercit lactentibus, nec vtero
grauidatæ, in nepotes protendit
maledicentiam suam, & in nec-
dum natos venena temperauit.
meritò detestentur illum nationes,
& in robore virorum fortium con-
teratur. sint in neruo pedes il-
lius, & in vinculis manuum sua-
rum, vescatur pane suo. non sit

qui

qui misereatur pupillis eius, quin
pepercerit semini aliorum in xter
num: posuit enim laqueum pro
ximo suo in dolo, & extendit reti
oris sui, in mendaci astu labiorum
suorum cepit illum, & circumue
nit animam illius in fallaci lenoci
nio letalium verborum: genę illius
lotæ sanguine, oculi veneno, exa
cuit dentes tanquam rhomphæam
bis acutam, inuoluens illos riden
tibus labris vt nouaculam spongiæ
in fraudem & interitum propinqui
sui. non pepercit innocentiæ, non
viduæ, non pupillo; in innoxio
capite furor illius, & in virtutis do
micilio ignis illius exardescit.

Videamus quid de talibus sensc
Psal 108 rit Propheta: *Os peccatoris, & o
dolosi super me apertum est. locuti
sunt aduersum me lingua dolosa, &
sermonibus odij circumdederunt me
& expugnauerunt me gratis. pro
vt me diligerent detrahebant mihi
& posuerunt aduersum me mala pr
bonis, & odium pro dilectione mea*
habe

habes detractorem regio penicillo depictū, audi imprecantem: *Fiant dies eius pauci, filij eius orphani, vxor eius vidua. nutantes transferantur filij eius: & mendicent: & eijciantur de habitationibus suis. scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eius: non sit illi adiutor: nec sit qui misereatur pupillis eius. fiant nati eius in interitum: in generatione vna deleatur nomen eius. fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum, pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam. induit maledictionem sicut vestimentū, & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius. fiat ei sicut vestimentum quo operitur, & sicut zona qua semper præcingitur. Hoc opus eorum qui detrahunt mihi, & qui loquuntur mala aduersus animam meam.* decurrit deinde ad Dominum: *Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur: seruus autem suus lætabitur.*

bitur. Induantur qui detrahunt mihi, pudore: & operiantur sicut diploide confusione sua. confitebor Domino nimis in ore meo, quia astitit à dextris pauperis, vt saluam faceret à persequentibus animam meam. fortiter Ecclesiastes, & nimis veridica denuntiatione. *Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum: derelinquet in maledictum memoriam eius, & dedecus illius non delebitur. & agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est* quàm ambulare vias rectas, & calcare semitas virtutis, & in veritate labiorum suorum subuenire proximo, immunem se seruare à maledicentia, & odio odisse omnem criminatorem, & mouentem os suum super proximo suo. similes illis sunt qui consentiunt operibus illorum, similiqúe maledictione terrientur. non sit æternùm.

Eccli. 23

Et linguarum quidem harum scelerís magnitudinem ex eo colliges, quòd

quòd non vna cadat morte cui detrahitur: cùm tot cadat quot auditores sunt; adeoque tot interemptores quot audiunt, tot carnifices quot auditi criminis repetitores. at hi innumeri propè sunt. transit namque hoc linguæ venenum ad millia, vt enim iniecta paleæ scintilla, sic lingua maledica in audientium animis. & vt flamma in acervo lignorum arentium, sic omnis lingua criminatrix in consessu curiosorum. inde natum vt ab vno aut altero credulo auditore ad innumeros res eat, nouis semper auctibus silvescens. hinc toties periturus cui calumnia hęc struitur, quoties nouo narratore res vulgatur. Et omnis ferè crudelitas vna contenta morte finem sæuiendi facit. vna hæc finem nescit, cùm omnium petitor linguis tanquam gladiis, omnium oratione tanquam nouaculis, omnium labris tanquam venariis draconum

rictibus.

rictibus. sub tot dentibus tanquā
securibus qui cadit, quoties cadit
noua semper morte, nouo delato-
re, noua infanda cæde, nouo per-
cussore insurgente; tot verò per-
cussoribus quot linguis. & feren-
dum fortè, si tanquam mille ma-
nus, mille linguæ armarenturin ne-
num, vnoque tempore sequeren
omnes, nec vltra cædis diem ire
crudelitas. verùm noua semper cæ
de grassari, tot nimirum quot
omne cuum vulgatoribus, scelus
est nulla pœnitudine piandū, nul-
lis lacrymis eluendum, non si pro
fluant maria, aut scissis toto æther
nubibus cadant imbres: nullaque
retractatione tollendum, ac vix vl-
la sui parte molliendum. serò ve-
nenis remedia cogitamus, quę vi
scera, quæ principes partes occu
parunt: idem in calumnia cogita
vbi semel per linguarum tradūce
sequitur, nulla industria damna repa
rabis, nullis fletibus, nullo cine
purgabis, nullis etiam laudibus

damn
tis vo
paria
tium.
ingen
ra au
laude
ximus
nis a
vix ri
dè ha
bus, v
ample
vix ex
bitrat
acceſs
to ſem
centia
mine
des ſu
tractio
diuite
natura
aut ce
putat
Vt

damnata semel dilues. onera quantis voles: nulla illi compensatio pariari potest, æquari nullum pretium. credulum namque de facilî ingenium humanum, ad deteriora aures habet patulas, ad alienas laudes obseratas. conuitia in proximum plena manu iaculata, plenis admittimus valuis; laudibus vix rimæ patent. detractiones auidè haurimus, ac quasi latis mentibus, venientibus vltrò occurrimus, amplexamur toto corpore: laudes vix exporrecto libamus digito, arbitrati decedere nobis quidquid accessit aliis. hoc veluti fundamẽto semel iacto surgit omne maledicentiæ ædificium, eo maiore molimine quo quisque pronior in laudes suas rapitur, quarum alienis detractionibus incremẽta spẽrat, nec diuite alia magis vena flumina sua naturali solo arentia, turgescere, aut certioribus posse accessionibus putat crescere.

Vt hinc nullo iam negotio vi-

deas, esse hanc in omni Republ
in omni re priuata, pestem m
mam. nec posse saluam aut b
aut illam stare, saluis detractor
quibus optimus quisque, pessim
inculpatissimus, nocentissi
castissimus, impurissimus est: c
trà impurus, castus; nocens, in
cens; malus, optimus est; ac
quisque improbior, melior est.
mirare. oblectamur paribus,
pimurque quadam morum sim
tudine. crudelis crudeli gaud
auaro auarus, libidinosus impu
in reliquis idem cogita. qui e
Rempublicam saluam volunt,
florentem, tollant de medio sui
xia hæc piacula, linguas nox
æternoque damnent exilio. q
si quis etiam sibi, paci, animæ
suæ studeat, hostes habeat qu
quot viderit in calumnias pron
eadem enim ab illis speret, eade
exspectet linguæ iacula; iisdem
multò pòst petendus telis, quib
alios vidit. heu fuge crudeles

iam te
ferrea
rum i
macul
bra, c
mulas
interc
stras, &
Qu
harum
ris: si
da em
posthu
medii
tientia
tia prę
expug
gis in
decurr
impet
storia
quenti
virule
aut o
adde
tum;

iam terras, non littus auarum, non ferream telorum segetem, non aurum iacula sitientia, terramque maculantia tabo, sed immitia labra, crudeles linguas, inferni famulas, corporum, famæ, animarū interemptrices, ignium administras, & ignium æternorum.

Quòd si à venenariis viperarum harum linguis impetitum te sensēris: si ab infami hac scorpiaca cauda eminus tanquam de corporis posthumo vulneratum, licet in rebus mediis fòrs plurima sint, tibi patientia & benefactorum conscientia præsidium eruut, quo inlatentia expugnas venena. tantoque magis in solidarum virtutum stadio decurre, quanto ab hoc spiculo impeteris magis: nulla certior victoria repetitarum virtutum frequentia, qua tanqaam scalpello virulentas hasce aut præscindas, aut obstupescere facias linguas. adde Stoicum illud pronuntiatum: *Si quis ad te referat, ille de te*

maledicit, ne excusa quæ dicun-
sed respondè. ignorat ille & alia
mihi adsunt mala: alioqui non
hæc diceret. nec pudeat ab illa sc-
la discere quod erit in salutem.
iam à venenis, adeoque ab
scorpio contra scorpium mede-
mutuamur. adde Euangelicum
lud: *Si esurierit inimicus, ciba*
Rom. 12. *si sitit, potum da illi. hoc enim*
ciens carbones ignis congeres s
caput eius. Noli vinci à malo,
vince in bono malum. nulli ma
pro malo reddentes. ergo ben-
fis malefacta vince, fortè illi
stilis improbitas repercussa, su
ante malitiam verecundia, stu
aut errorem corriget, deterio
meditata retractabit scelera, pu
que seruabit linguas. cane qui
que in excelso aut in specula p
tus es, aut quem sua virtus e
nolentem ducit ad magna, sob
los hosce malenolentiæ cunicu
ferè enim optimorum fumor
que quorumcunque calcaneis

tena hæc per famulas sibi linguas
anquã per hamata spicula intpar-
it diabolus, vt quos in præcipitia
per scelera non potuit impellere,
liorum ore insurgens non in va-
cuum flagellet. idque eo grauiùs
quo minùs formidabatur malum.
qui si vulneri locum inuenerit, in-
imat virus quod properat in visce-
a, vnde pristini excelsorum ani-
morum sensus retorpescunt, lan-
guescit animi vigor semper antè
victor dum cominus, & in aperto
onferre pedem licuit, accediteque
ietatis ac probitatis quædam nau-
ea, dum te vident in medio etiam
obilissimarum virtutum cursu ea
arte tanquam per obscurum no-
s impeti, qua minimè præcaue-
ant, minimeque merebantur. Iam
& ipsa mens incogitato pressa ma-
o, rei indignitate patientiam vin-
ente, oblita sui in vltionem rapi-
ur, sanguinem sanguine, dentem
ente repercussura: potestque hic
lud dici,

Tunc horrere comæ, sanguiſq
corde gelari,
Huc ferus atque illuc animũ, ſ
lentiaque irâ
Ora ferens, cùm tanta videſ
bella parari.

inde in omnem iam partem p
nocatoriæ voces, & grande aliq
ſpumantes, minitantes.

O ſemper timidum ſceler
Ferte gradum contrà campoq
rumpite aperto.

Et verò vidimus non rarò vir
aliàs magnos, quos, ſiue innat
ſiue cœlo conceſſos animos adm
tiaris, non carcer, non ſecures,
nes, vngulæ, beſtiæ à virtutum
conſtantiæ linea deflexiſſent, v
hoc venenato linguarum ſpicu
ingeminante ſcorpio virus, cc
diſſe. & ſanè nullum grauius
lum eſt viro cordato. magis en
feriunt improuiſa iacula, depa
turque morbus intima, qui me
cum fugit ſera remediatione. hi

illi mœrores, depressus vultus, submurmurata silentia, oculi deiecti, & tabificum demum ossa etiam e-medullans malum. eoque potentiùs validiusque cadunt tela, dantur vulnera, sequiturque sanguis, quo ignoratus hostis tutò de longuquo ferit, ac tanquam denso tectus nemore nocentiùs sæuit.

Atque hinc suspiciones: ingens malum, cùm etiam in innocentes & amica feruntur pectora, dum dubia anxiaque mens hæret, & in auctore errat suo, hostem sæpè pro amico, amicum pro hoste designando; hinc iam crescente malo nusquam etiam in alta pace sopor. quoties deinde magnanima hęc ora etiam fletibus natare reprehensum, quoties

Magnas latrantia pectora curas

insomnes videre noctes, peruigilesque noctibus dies additi curarum ac dolorum socij? ac licet dissimulent gemitus, vulneraque

iraſque celent, vultus tamen ipſe animi index, frons, oculi, pallentia aut igne ſuo torrida ora, quod latet non rarò produnt malum, altaque imo ducta pectore ſuſpiria, ac ne in ſomnis quidem ignorandum etiam incogitantem fugiunt vulnera, profundeque imbibitarum virus reregunt.

O omni maledicæ linguæ ſeueriores aſpide! palàm hæ petunt atque ideo præcaueri poſſunt. illæ clam infigunt venena, omni Parthica medicata damnoſiores ſagitta. vim bene repelli hę poſſunt, illis nullus reſiſtit chalybs. nam quis Achilles fugiet has Paridis manus omni crudeliores Boæ ſuctu, quæ aperto Marte bubulcos captat greges. & quæ plurimo lacte rigua boum eſt, eius ſe vberibus innectit, ſuccoque ſaginata, depopulatis animalibus, regiones quas obſedere ad vaſtitatem cogit. ſed notus hic anguis eſt, nec remedia Calabria ignorat, cui vernaculum hoc ma-

lum

lum est. At illæ vbi quidquid est melioris sanguinis clàm exsuxerint, nobiliore nominis vita improuidos nescioſq; exuunt; & dubia medicamenta sunt, ac non rarò etiam noxia, cùm malum ignoratum. omnibus efferatiores Anthropophagis Neuriſque, qui licet victimas homines faciant, ossibuſque focorum adoleant ignes, nil tamen vltra cultrum timet hostia, & cecidisse semel, semel escatilem factum satis est. verùm ab hisce linguis, mille in vno corpore cædes, dentes mille, vulnera mille. & Neuri non antè dentibus sæuiunt, quàm relegata iam anima, & in diem suum remissa: at hos

Viuo scelerantes sanguine fauces,

etiam inter risum iocumque reperies. ita suauior hisce Anthropophagis è viuo pectore integra etiãnum anima potatur sanguis. omni panthera dolosiores: quæ licet in animalium greges stupidos obtuto, secura populetur vastatione,

non tanto tamen artificio celare se poteſt, quin veſtigia quædam, tanquam futuræ cladis anteambula campis præfigat. at nocentiſsimæ illæ linguæ eo ſæuiùs quo ſecuriùs, eoque ſecuriùs quo ignoratiores plurimùm, in totum graſſantur, infiguntque malum etiam in poſteros abiturum. omni hyæna fallaciores, quę priuſquam motum animalibus adimat, luſtratione dinoſcitur. at quis effugiet has lingulacas hyęnas ſub amica voce ferocientes? aut quis tutus per hoſce iaculatos ignes incedet

ſuppoſitos cineri doloſo?

maximè dum ſub ſerena fronte blandaque voce beneuolentiam mentientes rabiem tegunt, eo ſæuituræ acriùs quo fallunt tutiùs, quidquid nominis boni, quidquid ſperatæ gloriæ à radice euellentes, omni amphisbęna peſtilentiores. conſurgit hęc in geminum caput ſerpitque tractibus circulatis, ſubitque

bitq; arbores, è quibus vi maxima turbinata penetrat animal quodcunque obuium fortuna fecerit. at nostri illi in linguarum consurgunt millia, quibus turbinum more optimum quemque demoliuntur; & successu ferè improbitati respondente. ita deteriora feliciùs fœcundiusque lætioribus melioribusque proueniunt, sortiturque citatiores optatos euentus improbitas. omni immaniores basiliſco; quem auium nullam impune transuolare, sibilumque illius etiam serpentes perhorrescere tradunt historici. at maledicas illas linguas oraque viperia, sibilosque venenarios insidiatim diffusos, nec primi quique omnium retro ætatum effugere potuerunt: adeò nihil illis inausum; non sacrata Deo templa, deuotaque Numini loca. sed & in mutuam sæuiunt perniciem mutuo pertimescendi, vincitque qui potentiore toxico socii antenerit. ita nec mutuo securi, nec fida

mutuo dextra est, neq; vllum hominum genus est, quod non aliquando tangant dolosa hęc linguarũ fulmina, non sepulcris maiorumque monumentis parcunt non cineri & pulueri, ac nec cœlo iam donatis, non ipsi Deo. vt mihi ito mihi liceat cum Lyrico,

Quid nos dura refugimus
Ætas? quid intactum nefasti
Liquimus? vnde

se hæc linguarum licentiosa immanitas

Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? ô vtinam nouæ
Incude diffingas

hęc noxia linguę iacula: auertas; à Christianis ceruicibus, à religiosis penatibus, ab ore tibi sacrato sanguineq; Christe tuo toties purpurato, toties diluto, toties medicato! ô quando! at nescio an non vires indies sumat, serpatq; fidentiùs malum. vt non aberrauerit qui inclamet:

Fœcun-

Fœcunda culpæ sæcula!
plebeium
Primùm iniquinaucre & genus & domos,
Hoc fonte deriuata clades:
in primos quosque, religioneque summos, nulla medicabile malum hoc arte fluxit. dicam, & dicam verè,

Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

ita angescit hoc malum, viresque cum ætate sumit. ô nunquam saturanda rabies, quousque sceleri pones modum tuo! tacerem si non sæuiret sub virtutis pallio, sub zeli stola, sub publici boni papilione, speciosa nomina, crudele malum. eoque crudelius quo sanctiora nomina. prætexuntur nimirum veneno caussæ, & feritati pulcro nomine prælunditur. inprobe rei nomen probumque etiam faciliùs incautos trahunt in assensum. dum sub hoc fauo venena propinant,

duplici ſęuientes vulnere, in audi-
tores, & in cuius caput venena hæ
temperarunt.

Macte animo quiſquis hęc pare-
ris, & ab Euangelio, à Chriſto tu
medica manu potionę cape. *Vin-
ce in bono malum.* illius ſacramento
addictus hoſtibus pares, etiam ſu-
perior es. ſi ſilentio hanc grandi-
nem tranſieris, ſi contempſeris, ſi
riſu te vindicaueris, ſi indignos ar-
bitratus fueris, in quorum ignauos
pectora contorqueas iacula; ſi fœ-
mineos hoſce lacertos non dignos
virorũ dextera iudicaueris. Quòd
ſi pergant deſæuire, ſilentio proni-
tati, exurgantque in iras maiores
nocentioraque toxica: erit in ſalu-
tem. tantùm ne cede, ſed contra
audentiùs ito.

Serpens, ſitis, ardor, arena,
Dulcia virtuti.

quanto magis hę nocentes linguæ,
quæ niſi locum dederis, nec extre-
mam quidẽ feriunt cutem. & non

per ignes & enses itur in vitam, nomenque æternitati commensurandum? non à securibus & carnifica pro veritate manu crescit gloria? idem de his linguarum nouaculis cogita. quæ licet quo altiùs spongia sua integuntur, hoc validiùs noceant, maiorem tamen gloriæ materiam præbent. semel memento nulla venire ex otio præmia. lacessita virtus virum suum ostendit. quid si fluat sanguis, hient vulnera? ne metue. Christum cœlumque intuere corona premet vulnera, palma sistet sanguinem. quid quòd hic sanguis cœli semen est frumentumque in horrea Domini reponendum? nec pœnitebit te paullo pòst huius luctæ, cùm senseris longè plus victoriatum quàm iniuriatum esse.

Quòd si retro etiam oculos in omnem ætatem conieceris, à primordio hæc linguæ vulnera & iacula leges. semper enim innocentia patitur,

patitur, virtus impetitur. statim enim vt coli Deus cœpit, inuidiam religio sortita est. & quidem in Abelo à fratrè; in Noe, in Dauidi filiis; in Helia, Ieremia, Isaia, Zacharia ab Israële; in Ioanne ab Herode, cùm contumeliosa cędelegi ille & prophetarum clausula, in pe ellę saltricę lucar trucidatur; in Christo Domino à Iuda & vniuerso Israële. Quid ergo mirum si in probissimos quosque vt in hæreditarios Dei discipulos cędem insurgant linguę? audi animantem, & quidem suo exemplo. *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius: & seruo, sicut dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* audi gratulantem & præmiantem. *Beati estis cùm maledixerint vobis, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malũ aduersus vos mentientes. Gaudete & exultate, quoniam merces ve-*

Matt. 10

Matt. 5.

stra copiosa est in cœlis. Habes hic Deum ipsum idoneum pollicitatorem, fidelem sponsorem, certum verumque remuneratorem. ne vereare. prior ille venena hęc hausit, & inscripsit vincenti coronam. primus Samaritanus audiit, à dęmonio possessus, *seductor, homo vorax,* Matt. 11. *potator vini, Publicanorum & peccatorum amicus,* blasphemus. & edixerat hoc antè per Prophetam suum: *Factus sum in derisum omni* Thren. *populo meo, & canticum eorum tota* cap. 3. *die. replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.* & hęc illi ab illo populo, propter quem Ægyptum decemplici castigatione percussit, cui & mare funditus proscidit, vt sicco illum pede intestino itinere transmitteret; rursusque redeunte natura stupentis vtrimque elementi, hostilem exercitum vndarum concordia obrueret; quadraginta annis indetrita & inobsoleta vestimenta ac calceamenta custodiens, terramque lacte & melle manan-

manantem, pro Ægyptiis ergaſtu-
lis plagiſq; concederet. atque hinc
Iſa. 5. illę voces: *Quid eſt quod vltrà de-
bui facere vineæ meæ, & non feci?*
quid nouum ergo, ſi & tu ſentian
ſpurcos hoſce inuidentiæ afflatus
de maleuolo ore erumpentes; cùm
nullum fuerit adeò noxium virus,
quod non antè populus ille in Re-
gem Deumque ſuum deuomuerit?
eadem proinde exſpecta ſi iiſdem
veſtigiis graderis, ſi ſacramento il-
lius teneris obſtrictus, pareſq; lin-
guas è ſceleratarũ latebrarum ſca-
rum ambagibus venena intorquẽ-
tes. tantùm materiam nullam ſug-
gere tanquam paleam ignibus ido-
neam. ſtet tibi conſcientia bene-
factorum, & inſurgat quidquid ter-
riis inferisque noxium. prębebunt
ſegetem meſi cœlo reponendę
adnectentq; corollam capiti æter-
naturam.

Interim proſpice & vide cuius
armatę dexterę inerme latus fidas;

nec

nec tantùm columbę simplicitatem, sed & serpentis indue prudentiam: videbis viperas illas in omni propè sermocinatione altè habitantes, per anfractus verba tua euoluentes, tortuosè prorumpentes, si fortè simplicem columbam & ad lucem viuentem deprehendant in interitum. suspectos etiam habe coràm & in os in nimias tuas tuorumque laudes prorumpentes, multa spondentes, frequentique iureiurando vltroneas sponsiones firmantes, quique præter consuetudinem blandiùs compellant, benigniusque quàm assolent operam industriamque suam promittunt. retia sunt, & dolosi aucupis insidię hic latent.

Quanquam quid cautiones has adhibeo? vno verbo. ita viue, palàm, priuatim, ita loquere, vt nullius te aut facti aut verbi pœniteat. omnes videre audire possint omnes, quidquid vni, quidquid adeò cæcis mutisque parietibus com-

commitis, in foro siue intra domesticos parietes consederis, idem esto. vni siue omnibus loquutus fueris, pro eodem habe, in vno omnes intuere. quòd si nihil eruperit quod erubescas in oculis summi iudicis, nihil erit quod cuiusquam pertimescas infidam linguam. facies hoc, si cogitaueris nullum esse qui non aliquando ab amica in aduersariam partem transire possit, qui non à propugnatore à laudatore, oppugnator & improbator exurgat. Hoc si alte imbiberis, nihil cuiquam concredes quod euulgatum nolles. magis autem si ita te comparaueris, vt nec in animum quid quam sciens volensque admiseris quod solem lucemque vereatur, quod inimicos oculos, quod hostiles calamos aut linguas. Hoc denique Christianè est viuere, & philosophi verè Christiani est etiã cogitationes suas tot naturę claustris firmatas audere publicare orbe inspectore & iudice. quod perfacile

facile erit illi qui sua omnia etiam mentium abditissima ad vindicem Dei dextram & oculum composuerit, tanquam si quo momento fiunt eodem iudicio illius vltimæque ferendę sententię subiicienda forent.

Ille securus viuit nec inimica veretur agmina, non linguæ venenarias acies, qui nihil committit ne in oculis quidem Dei pœnitendum, aut de quo necessum habeat dicere, Nollem factum: quique illius adeoque conscientiæ suæ domesticæ plus erubescit testem iudicemq; oculum, quàm cuiuscunq; hostis armatam in perniciem manum; quique in pœnitendis didicit pudere, licet solus densè in orbem tegatur pariete; plusque exhorrescit vnius censorium Dei oculum, quàm omnium qua patet orbis mortalium.

Quòd si super hæc omnia, erigant se tamen viperæ hæ linguæ, venena à suggestore & impulsore

dæmone

dæmone mutuantes, perfer & obdura. erunt in salutẽ, erunt in gloriam, & gloriã ęternam. sed graue est falso impeti nec sentire, nec indignari, nec irasci. velles verè? quàm quam iustã habeas sentiendi, dolẽdi fòrs & irascendi causſam. at nescis tunc præcipuam mansuetudinis laudem esse, cùm iræ causſa iustissima est? verùm quid potest illi graue accidere, qui nihil extra æternitatis prędmia cogitat? quis agricola indignatur si gratuitis aliorum manibus stercoratio fiat? tu cogita agrum tuum ab his linguis stercorationibus fœcundari, licet tollatur aliquid quod amœnitate sua transeuntium animos feriebat. at tu contemne hunc alieni oculi plausum, profutura illius exempla sectare.

Verùm contemneris, nec iam eo loco es quo soles. falleris. minùs splendes. at plus diuitiarum opumque reclusisti in horrea. neque

ille ager optimus qui amœnissimus, sed qui fœcundissimus est, qui horrea & torcularia implet, qui domini spem implet, aut etiam vincit, illiq́ue fructus reponit in annos. Hanc fœcunditatem contemptus dabit si modò tuleris, si te primus non contempseris, animum maioribus natum non abieceris ad hęc iacula. Et quid vis? vires experire in aliorum contumeliis. nónne monemur non reddere *malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*? neque quisquam his nomen parauit. longè semper ad famam plus valuit transisse hęc spicula vt non sua.

At longiùs mala hæc serpunt & non nisi cùm ruina finienda. durũ hoc in innocente. malles in nocente? audi è gentilitate quendam. *Non recuso, si ita casus tulerit, luere pœnas ob honestum factum dum flagitiosissimum vlciscor.* Tu dicito, Non recuso hæc linguarum flagella, dummodo cœlo crescat gloria.

at cre-

at crescere disces in Sanctis cœl
iam donatis, in Christo diuite spó
sore. tantùm imitare patientiam
quorum in his præmio. triumphi
pariantur qui victoriis pares sunt.

Et in omni detractione, consci
entiam tuam consule, vide iustam
illi causſam dederis, an secus. si de
disti, emendationi incumbe, &
gratias habe monitori, à quocun
que hęc animo profecta. si culp
vacas, audi Apostolum: *Si quid pa*
11 Pet. 3. *timini propter iustitiam, beati.* &
cœlum intuere. breue est quod pa
teris, æternum quod speras. Deo
tantùm te proba. sola enim boni
tas est quæ Deo bona, sola sancti
tas & iustitia quæ Deo sancta & iu
sta sunt. innumeris reliqua errori
bus patent. illius ergo de te sen
tentiæ innitere, reliquorum con
temne. deterrimus audias dum
modo illi placeas, sceleratus etiam
& impius, tantùm illi probus &
pius esto, nec meritam prauæ opi
nioni causſam præbe improbaud
æmula

æmula lingua venena in caput tuum iaculata est? tu hæc potentioribus cogitationibus absterge: Christi sanguine, vulneribus, morte, cœlorumque opibus, honore, gaudiis. perfacilè his noxia depelles, omni toxico superior, omnium inuidentium ac æmulantium linguarum subactor, omnis maledicentiæ victor.

Hæc te via breui ducet ad omnem virtutem, sęculi contemptum, cælestium amorem. quo accensus nõ magis hominum de te verebere iudicia, quàm nubem nine, rore, pluuia, grandine sua grauidam tectisq; minitantem. satis tibi erit illi placere & illi soli; illiusque de te iudicia bona omni conatu ambire, complecti, venerari. nec laboribus modum finemque ponere, donec coniunctus illi, nihil iam extra illum speres, nihil metuas, nihil exspectes, vt dicere possis: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* Cui viuere vita est Gal. 2.

& vita sola. reliqua omnis vi
mors potiùs quàm vita est, eóq
miserior, quò mortem secum tr
hit nullo æuo finiendam, null
claudendam.

Caput XI.

ADVLATIO. *Intuere hic qua
ta venena iaculentur hæc mell
quæ ante minas interimunt, an
classicum iugulant, eo sceleratiu
quo irrepunt incautiùs: ita s
amico osculo antè cadit Ab
quàm siccam videat, vulnus se
ciat. fugiet hoc malum quisquis
pit. ingens enim & non medic
bile toxicũ latet sub hoc fauo. n
mor, saporatis plurimùm & dulc
bus nocitura misceri. & vetere
dicti, Quisquis in faciem laud
damnat, & grande iam tum m
ditatur malum; occasionemq; n
ctus temperque commodum, fe
sparget qui mentiebatur sacc
rum, deuometque ridentibus r
ge*

uena labris, tanto nocentiùs quanto occultiùs. ne crede. perimit fidentem laudator, & noxia semper nimia fiducia fuit, non priuatim modò, sed & publicè. ac magis etiam hic sæuit, cùm pronior in fraudem potentia sit, regnaque tota adulantium decipulæ subiaceant: nec fœcundior vlla seges veneno huic est, quàm quæ sub diademate ludit secura: tam facilis ad ferrum quàm facilis ad fidem.

GRande malum sub hoc fauo, præsens toxicū sub hoc melle latet. blandientes oculi hostem tegunt, ora ridentia amicum mentiuntur, frons exporrecta venena condit, mellea labra fella denotmunt: nec quidquam tuto creditur quorum corda labra mentiuntur. subdolum genus mentiri assuetum, doctumque fallere. scitè hos in sua Cistellaria depinxit Plautus.

Palàm blandiuntur, clàm si occa
vsquam est,
Aquam frigidam subdolè effu
dunt.

Magis etiam ex vero in Trucule
to suo.

In melle sunt linguæ sita vesti
atque orationes lacteque;
Corda in felle sunt sita atque acer
bo aceto.
E lingua dulcia dicta datis, cor
amarè facitis.

Non potuit veriùs adulantium m
res ingeniumque effingere; qui
bus oratio omnis coràm melle l
cteque, corda felle natant. os,
præsens qui laudatur, saccati iun
bis calamum; sin abest, colocyn
das arbitrabere. pestilens genu
quod venenario afflatu suo nec
incantos & alia omnia cogitantes
lusit olim in rem nostram, omo
scius quidam sculptor, à cuius de
cta manu sub extremo quodam si
xi margine poma & vuæ tabe
mè politæ pendebant, quas na
ra

tam æmulatus veritati similes explicuerat, tam fabrè sciteque, vt non vnus arbitraretur, inde quædam ad cibum posse decerpi; ludunt & adulatores nostri, vt arbitreris vera narrare, nec aliud ore, aliud reconditum mente tegere; tamque peritè falsa veri coloribus depingunt, vt oracula credas dictûmque scita. cùm aliud interim longè supremis legatur labris, corde tegatur aliud. quid quòd tam inter se pugnent mens & labra, vt nulla æq; pugnantia reperias. laudant & laudant coràm, absentes lacerant: præsentes postquam onerauerint encomio non vno, longè positos ingenti maledicentiæ mole tanquam solidis Pyrenæis aut Atlante premunt; barbaroque ritu dirum laniant, quos antè tanquam molli sericata strigile aut pelliceo peniculo demulserant. Vnum proinde moneo. nemo fidat. infida hic omnis statio est. nemo in hanc aut aream aut arenam anchoram

firmet; fugitiuum omne hic solum est. nemo in hoc portu nauem statuat, periclitatur omnis carina huic concredita. fuge vipereas has linguas quisquis sapis: intus venena latent. nam laudem quicunque plena manu spargunt, sibi seminant, horreoque suo messem hanc reponunt diuite suo reconditorio; at tu quisquis es, sequere Comicum,

Nihil illis crede, qui aures verbis diuitant
Alienas, suas vt locupletent domos;

qui commodorum suorum studiosi, auribus alienis colligunt escas, ventrem vt farciant suum, docti sibi in alieno agro metere, triturare in aliena area sibi, ex peregrino torculari & penu vina sibi promere, sibi fundere, haurire sibi, sibi secundo nauigare vento & flumine. ingruit tempestas, & obducum nubibus cœlum minatur, mugiit æther, & potenti aliqua fruiti

fulmina

fulmina dexterâ? fugiunt trepidi laudatores. ambusit aliquem vicinior flamma? nesciunt virum, & pro laudibus maledicta reponunt. & tunc ille linguis tanquam præpetibus pennis tantùm non cœlo illatus, infra quidquid hominum est reconditur. virtutes, dictaque factaque fortia, mira labiorum metamorphosi in vitia & imbellem animum transierunt. ita illis momento non rarò, ex optimo, doctissimo, generosissimo, valentissimo, pessimus, ineruditissimus, ignauissimus & imbellis totus surrexit; Thersites ex Agamemnone, Paris ex Achille, ex Hercule Omphale, ex Sampsone Dalida, ex Alexandro Darius, ex Curio & Fabricio Sardanapalus; ex Cæsare, Fabio, Catone, Pompeio, Camillo, Scipione, Æmilio, Metello, lixarum aut trahariorum vltimus. ita repentè ille maxim⁹ & Traiani panegyrico dignissimus, infra Verrē & Næuiū reponitur. miratus olim

Afer diuipotentem fagam, quæ in
audito in illam diem auſu, cœlum
ſpopondiſſet deponere, terram ſu
ſpendere, fontes durare, monte
diluere, manes ſublimare, Deos in
ſimare, ſidera extinguere, tartarum
illuminare, vnicoque verbo Ca
ſtorem mutare in feram, cappo
nem deformare in ranam, alium
in arietem, ſcriptoremque ſuum in
aſinum. nos potiore iure miremur
laudatores noſtros, ſi quid ingra
rit aduerſi, momento citiùs è pro
batiſsimis improbiſsimos, exami
ciſsimis hoſtes, è leonibus dama
è viro fœminam figulare. mon
ſtrum ingens, cogitatu horridum
in quod quidquid vſquam portem
toſum confluxiſſe meritò arbitre
ris, vt nulla tam effera immaniſque
bellua, cuius non vincat feritatem
& ſanè clementiâ dixeris omnes
vbique qua latiſsimè terra patet fo
uitiam, ſi cum adulantium barba
rie componatur. deducamus
hanc paginam tanquâ in theatrum
qui

quidquid orbe toto sæuissimum, videbis nulli immanitate cedere, vincere omnia. Ordiamur à Romanis.

Prætoriam Antonij properantis circuire & exhortari suos Actiaco Marte, tenuisse Aolunt Remoram, eandemq; Caij Principis quinqueremem. quis credat, cum rostra ære ferroque ad ictus armata cogitat, sesquipedalem pisciculum, limaci magnæ similem, ingentes inhibere naues posse. nec alio modo quàm adhęrendo domat Oceani ventorumque rabiem. habes eadem in adulatoribus. exiguas arbitrere vires: nec posse à tam imbelli tanta nasci. cum interim sola adhæsione, dictorum factorumque laudatione, primos quosque ipsosque adeo Principes, Regesque ad magna properantes adulatorio flatu sistant, properantesque in virtutem, & iam è medio cursu portum prospectantes, retro nõ raro agant infelici velificatione.

In Sardinia Solifuga similis aranex in metallis argentariis plurima est. occultim adreptat, & perimprudentiam superinsedentibus pestem facit. Quid accommdatior adulatori? diem solemque fugit perpetua nube nocteque in fraudem tectus, occultimque in potentium gratiam adrepit, interaurum gloriamque plurimus. fidentibus exitio est.

Pantheram Syria donat. quę ne animalia reliqua terreat oris torui tate, abdito capite quæ corporis reliqua sunt spectanda præbet, vt stupidos in obtutu greges secura populetur vastatione. adulatores intus inimicam latentem feritatem suaue ridentibus obtegunt labris, fronte in fraudem exporrecta, oculis in decipulam amicè ludentibus, vt securiùs in incautos barbaro sæuiant more. nec quidquam in illis quod virum sapiat, nusquam cominus & aperto campo manus & arma. sub venusto mol-

lique

liqúe amici pallio exarmant imprudentes, inde in inermes ruunt, non fortunis, famæ, vitæ parcentes. Sua si in alieno commoda sanguine sepulta arbitrentur, secant securibus venas, & in imo alterius iugulo cordeqne tot velaminibus sepulto, sua venantur bona.

Africa chamæleontem noxia fœcunditate protrudit. Color huic varius & in momenta mutabilis, ita vt cuicunque rei se iunxerit, concolor ei fiat. cui magis color varius quàm adulatori, quem in momento mutat pro conditione illius cui adhæserit, doctus omnem induere formam, vt rebus suis consulat?

Tarandum Æthiopia mittit bovum magnitudine, bisulco vestigio, ramosis cornibus, capite ceruino, vrsino colore, & pariter villo profundo; hunc affirmant colorem vertere, fieriqúe ad similitudinem cui rei approximauerit, siue

illa saxo alba sit, seu fruteto virens coloresque omnium arborum, fruticum, florum, locorumque reddit, ideoq; rarò capitur. adulatores ad omnem se formant potentium similitudinem, seu durior ille chalybe, seu spongia mollior, seu rupe firmior, seu aqua labilior sit. avarus est, parsimoniam nominant; profusior, liberalitatem; crudelior, ingentes animos; bella ex bellis serens, dignũ Imperatoria purpura, diademate dignum. quocunque demũ se verterit cui adhærendo aut in quamcunque vitam morique pronus, iisdem se induunt. sin in virtutem inciderint, virtutem mentiuntur. De Deo sermo iniquus? ex eremo aut vltima veteri Thebaide aduocatos credas, ita nihil ore præter Deum sapiunt, corde vitiis natant. sin in sceleribus nobilem se verterint, nefandorum agminum ductores sunt. quis hos laqueis aut irretitos retibus capiat, ad omnem virtutem vitiumq; pro-

nos;

nos; illam mendacio, hoc ex verò imitantes?

Manticora apud Indos nascitur triplici dentium ordine, coëunte vicibus alternis, facie hominis, glaucis oculis, sanguineo colore, corpore leonino, cauda veluti scorpionis, aculeo spiculata, voce tam sibilia vt imitetur fistularum modulos tubarumque concentū; humanas carnes auidissimè affectat, pedibus sic viget, saltu sic potest, vt morari eam nec extentissima spatia possint, nec obstacula latissima. quid assimilatius adulanti? qui multiplici dentium ordine, leonina feritate, scorpiaca cauda obuios ferit, modulos imitatus vocemque blandientis amici, cùm nisi stantium ruinas cædesque machinetur, solo humano demum sanguine satiandus; eiusque in primis cuius imitatus mores vocemque est. neque manticora vnquam tam vario validoque saltu campos transilit, quàm noxia adulantium vox vno

maledico oris flatu transuerberat, nonsexui, non ætati, non sanguini parcens.

Tales iam olim accepimus libertini generis, Chrysogonum Sullæ, Amphionem Catuli, Heronem Luculli, Demetrium Pompeij, Augenque Demetrij, Hipparchum Antonij; nobilissimorum Senatorum proscriptionibus ad Regias opes conscendisse, ingenti potentia Reipublicæ formidolosos, opibusque dominis tantùm non superiores. quos in indignissima quæque improbis scelerum laudationibus propellentes ad propudiosam in omnem posteritatem generis infamiam populere. fueruntque ex hoc hominum genere non pauci qui respublicas imperiaque florentissima, potentissima, sceptraque ac diademata ad aliena non semel genua compulere. nec longè petẽda exempla, plena omnis sęculorum historia est: vt ausim

dicere

dicere nullam propè purpuram decidisse sine his manibus, nulla sceptra ligonibus æquata sine horum protrusione, nullas prouincias desiisse sine fallaci horum dextera. tolle enim prauorum consiliorum laudatores, tolle temerariis ausibus applausores, tolle ad viribus maiora impulsores, quis Regum ad arma concurret, aut ad non tuta, ad non iusta? quis dubio parabit ferro quod pace possit? quis non antè diu multumque cogitabit, ponderabitque. incertos bellorum euentus, leuia momenta quibus omni ætate ingentia imperia corruerunt, multorum sæculorum regna in viliſsimum prolapsa sunt puluerem, & tot retro ætatum sceptra ne nomine quidem nunc nota. posse cuique euenire quod paribus potentioribusque euenit. nec aliud esse bellum quàm fortunatum infortunatumve aleę iactum. nec tam cõsilio viribusq; quàm inexspectata felicitate rem geri, ita paucorum

non

non raro qui in prima acie stete-
runt metus, fama etiam rei falsa
vulgata, opinio de aduersario con-
cepta, indignatio in ducem, tædii
longæ militiæ, prædæ auiditas, ho-
stium contemptus, ductorum inter
se aut apertæ aut tectæ simultates,
inuidentia è sociorum virtute na-
ta, æmulatio gloriæ alterius, alia-
que his leuiora quantas res perdi-
derunt? quę si quis serius humana-
rum rerum indagator suopte in-
genio discutiat, aut alieno vero a-
mico pectore & ore suggesta exa-
minauerit, quàm lentè progredie-
tur ad extrema præcipitio proxima,
quàm cautè in hoc lubrico figet
gradum, exemplis monitisque do-
ctus? quamque priùs omnia tenta-
bit quàm descendat ad illud dubiũ
exitus incerti? ad illud denique
momentum, è quo fortunæ, famæ,
vitæ, posteritas omnis pendet?
quàm sæpè cogitabit, quæ hæc im-
prudentia, è tam tenui filo, tanquã
ab aranearum tela, aut bombycum
stami-

stamine suspendi quidquid retro maiorum labor, industria, sanguis, fortunáque sua parauit, aut quidquid postera exspectatio diuite sponsione addicere audeat.

Verùm vbi accesserint laudatores, & per præcipitia impulsores, vbi inlustre illud nomen generosi, dedecus ignaui, vbi vetus illud, Audentes fortuna iuuat. & illud, Nemo nimiùm prudens fortunatissimis illius manibus ad fastigia conscendit. vbi deinde periculorum dubiorumque euentuum elonatores, quibus nihil magis ad manum quàm mendacio sapientiæ obstrepere, omnemque prouidentiæ aditum occludere: ne si ex vero mala dinoscantur, periculaque sine stibio & ornatu nuda proferantur, à temerario ausu & imprudenti inscepto ad saniora consilia tutioraque deducant. Idem euenire in sceleribus vitiisque reliquis comperies. tolle laudatores, submiistratores, impulsores; quis Regum

gum magnorumque voluatur pe
tot pœnitenda? quis crudelitatem
depredationibus misceat? qui
proscriptionib⁹ barbaram feritatē
quis libidini sanguinem? quis alie-
nis ceruicibus iugulóque hilarita-
dinem? quis auaritię cędes, prodi-
galitati rapinas, superbię inuiden-
tiam & non-moritura odia? ita ni-
mirum comparatum est, vt si lau-
datores eluas, eadem plurimùm
spongia scelera diluas, eodemque
peniculo crimina deuerras: maxi-
mè in iis quorum magnitudo vitia
occulta esse non patitur. ferit enim
oculos splendor ille, nec patitur in
lucido corpore nęuum esse occul-
tum. nimirum quis in candida ve-
ste & niue picem celauerit? idem
de iis cogita quos in excelso fortu-
na locauit, obtutibus omnium pa-
tēre, nec tam esse in illis leue tam-
que reconditum, quod non eadem
dies detegat, & prospectandum de-
signet palàm. Iam quis palàm ma-
lus haberi velit, aut scelera propter
ipsa

ipsa ad
num s
sempe
integri
bitatis
ctores
re me
structo
feritat
auerte
tis sto
tō om
centio
stissim
dis, no
& quē
ducer
defen
tu ini
rum
tuebi
Vb
nia la
gitur
hac h
si acc

ipsa adiit? non magis quàm humanum sanguinem propter ipsum. semper aliquid prætexitimus boni, integimusque improbitatem probitatis pallio. Quòd si proinde doctores hosce, peritosque in aliena re mentiri in fraudem, sustuleris structores, iam crimina fœditatem feritatéque, sua auctores terrebunt auertentque, qui sub infida virtutis stola quid non audent? vt meritò omnibus omnino hostibus nocentiores qui dixerit, etiam infestissimis & solo sanguine pacandis, non aberrauerit. ab hoste enim & quē inimica videris arma circūducentem, paribus armis te tuosq; defendabis: ab eo qui sub amici vultu inimicum tegit, sub osculo nimirum ioabum, quot tutelare ferrum tuebitur?

Vbicunq; proinde senseris omnia laudantem, time. scorpius tegitur sub hoc flore, coluber sub hac herba, latam ruinam daturus si accesseris. vis hunc non penna, sed

sed toto corpore tenere? vitia in
gere, & audacia facta præcipita
proxima, supraque vires medita
propone; vindicem dexteram, ig
nes, ferrum, depopulationem me
ditare, in innoxios agros domo
que flammam, in innocentia capi
ta secures, laudabit: etiam curren
calcar adhibebit, timenti animo
verecundo audaciam. narra dicta,
facta, cogitata non proba; magno
rum omni æuo exemplis docebit
probissima. calumniare optimum
quemque vt speratæ magnitudini
tuæ obicem & hostile munimen
tum, deterioribus onerabit, laudet
sceleratissimum, sed improbis ma
chinationibus tuis Atlantem, nihil
tulerit terra sanctius. in varias de
nique imò omnes te flecte formas,
damna probata priùs, proba à te
damnata, accedet omnibus assensus
pari, & rationes inueniet in tam
dispari pugnantique sequela. fuge
quisquis sapis inimica hęc pectora
amicis tecta labris. non magna res
si im-

si imbiberis & in animum demiseris, magna mala dabit. neque vlla venena parua sunt quæ interitum circumferunt. miraris à tam leuibus initiis surgi ad tam magna, ab ore laudatore ad perniciem? quid nouum à tenuibus ad summa deueniri? etiam à cuniculis suffossum in Hispania oppidum Varrone narratore discimus, à talpis in Thessalia, à tanis in Gallia, à locustis in Africa. sanè ex Gyaro Cycladum insula incolas à muribus fugatos, in Italia Amyclas à serpentibus deletas, à scolopendris abactos Trerienses auctor est Theophrastus, vt nihil nouum sit à propè nullis initiis ingentia nasci mala, nulla vbi inualuerunt arte medicabilia. ne contemne. nemo prudens hostem neglexit licet minimum. neque leuia æstimari debent quæ ingentium malorum causam non semel dederunt.

Non ignorarunt hoc è veteribus viri magni. hinc illud Augusti Cæsaris,

Cæsaris, Nullam pestem assentatoribus detestabiliorem. & laudatum illud Tiberij, cùm Domino audisset, parceret contumeliæ, pulcrum etiam illud Titi, coronas ceptæ Ierosolymæ auersantis, cùm victoriam Deo victoriam asscriberet. nec minùs glorioſum Pescennij Nigri Imperatoris, panegyricum sibi dici vetantis, cum præclara illa voce, Viuentes laudare ridere est, mortuorum facta fortia in imitationis studium viuentibus decantandi. & verissimum illud Iouiniani Imperatoris, Purpuram assentator, non Regem colit. &, Euripo adulator similis, fluctus suos in diuersum raptanti. nobile etiam factum & purpura dignum Attilæ Hunnorum Regis, Maruli Calabri poëmata concremantis, quòd vatum non ignorata licentia Regium Hunnorum genus ad Deos retulisset. bene Sigismundus Imperator in exemplum omni posteritati, cùm

laudatorem alapis cecidisset, illeque inclamasset, Quid me cædis Imperator; prudenter & ex vero reddidit, Quid me mordes adulator? & Alphonsus Aragonum Rex cætera magnus, hoc etiam maximus quòd exquisitis non raro cruciatibus reliquos ab adulatione terreret, cùm nullam imperiis nocentiorem pestem, nullam sceptris regnisque magis exitialem diceret. probatissimum etiam omniq; memoria dignum Seueri Imperatoris, cùm atrocissimis suppliciis in adulatores sæuiret. quòd Principum concordiam qua vna regna starent, dissolui ab his diceret. nec laude minore digni Athenienses qui Timagoram ad Artaxerxem Persam legatum. Regiis muneribus grauem, extremo supplicio damnarunt. præmium blandientis purpuræ, qua vna arte ingentia dona retulerat. bene etiam illud, cùm Demadi centum talentorum multam irrogarunt, quòd Alexandri Deo-

Deorum decimum tertium insc
bi iussisset. celeberrima orbe
Tyriorum & Sidoniorum colla
datio fuit, infami domini exitu
Act. 12. bilitata, cùm *Dei voces & non hom*
nis acclamassent Herodi, *protin*
nali cõcionabundo; *confestim per*
cussit eum Angelus Domini, eò qu
non dedisset honorem Deo, & consu
ptus à vermibus expirauit. misc
merces adulantis populi, infeli
exitus applaudentis Regis. tam
xia dies domino quàm credul
dulatoribus, exemplum poste
sauientis Dei in omnem adula
tem: exemplum temerarij appla
sus, stolidiqúe exemplum assen
non cecidisset Rex tam fœda vlti
manu, si non annuisset fatui pop
li acclamationibus, qui purpùra
sceptraqúe veritus, & indigna
tem dexteram offensę Regiæ, pr
siliit in voces infelicis domi
morte luendas, vermibus pianda
miserum præmium vermium fie
escam & pastum: vt quot verme

tot specus, quot morsus tot vlcera, vindicantis Dei documentum certum. quòd si non omnes assequitur hæc pœna, manet fòrs maior. neque enim transilit hos applausus Dei manus intacta. Non sæuit in hac vita? sæuior exurget in altera, & pro temporaria feriet æterna. nemo inultus cecidit scelerum auctor, nemo nocens abiit inuulneratus. si nulla temerantem ausum peritura decolorauit flamma, exardet æterna, nullo fine, vulnere, tormento ponenda. vnáque perennitate magna, eademque infelicissima, non morituorum ignium materies nullis suspiriis, lamentis, lacrymis, rugitibus deflenda.

Fuge, quisquis salutem amas, quisquis fortunatam vitam, exitum felicem, præmiationem Deo de æternitate commensurandam. & vbicunque adulantem senseris, nouaculam adhibe, adeoque & securim. nemo prudens collusit toxico. nemo ridentẽ amauit hyænam.

quis sapiens pectinem admoni[t]oni, tigridi spongiam, stolam dr[a]coni? ludant licet & mollicie[s] mentiantur, in altissima sæuie[s] pace. fuge. neu fide fronti. laur[o] rosa, viola speluncam vestit? qu[i] mihi illices hi flores, omnisque[s] mœnior contesserario, si intus h[y]æna habitat, si à recenti tigris pa[r]tu? in omne oculorum oblect[a]mentum labitur Nilus, fœcundo ad ruris imbriumque inuidiam l[a]psu relapsuque, eoq; fertilior, qu[i] copiosior exilit vada, calcatque s[u]perba littora. metue. blando fe[c]undoque hoc transultu crocod[i]lus tegitur. ne crede mari, etiam positis fluctibus inquietum est. & inter dormientis elementi torpo[r]rem decumani surgunt fluctus. no[n] li extremæ tabulæ te credere. ne[c] que hominem capillo metire, ac[u] rubentibus virginem labris. inte[r] pericula, latrones, meretrix latet. & non plurimùm altè quodcunq[ue] nociturum habitat? adyta pertem[p]tandi

randa sunt. nullus angulus sine face & oculo dimittendus. profunda intuere. quid in fluminis dorso piscaris, aut extra nemus suum aprum venaris? altè hamus dimittendus, intima saltus petenda sunt. profunda scrutare. latent in abdito mala, sæuiùs repercussura quo altiùs sepulta iacent. & ferè mentitur omnis externa mollicies, blándorque superficiem radens callos plurimùm suos tegit, rubeasque verrucas. ita Ligusticum mare frutices procreat, qui quamdiu aquarum inhærét profundis, fluxi sunt, tactu propè carnulento: at vbi in supera attolluntur, lapides fiunt. nec qualitas tantùm illis, sed & cólor vertitur. non dissimilia reperies in adulatoribus, qui quamdiu subamici vultu altum illud intimæ mentis denso contegunt profundo, extrema fronte carnulentos amicoque plenos succo arbitrabere. at si abditum illud inlatentis hostilis animi, tanquam reducta

ſcenica cortina in lucem oculoſ
ſpectantium deduxeris, lapide
ſenties & inimicas rupes, ac in
longè alias quàm mentiebant
genas: vt qui antè roſas violaſq
ſpargerent, nunc ſpinas, ſudes, c
ſtuſque & flammas, quibus expu
nandis nouus exſudet Alcides.

Neque inſcitè Garamantum fo
ti adulatorem compoſueris. alter
nis ille vicibus die friget, nocte fer
uet, ac per eadem venarum com
mercia interdum ignito vapore æ
ſtuat, interdum glaciali algore ho
reſcit. in quo hoc etiam magis ad
mirandum, ab occaſu ſolis ita in
caleſcere, vt noxium ſit contigille
ab ortu verò poſtquam radios ſo
ſparſerit, adeò glaciales euome
ſcaturigines vt hauriri à ſitientibu
non valeat. vt meritò inter me
moranda ſtatuas fontem qui frige
calore, calet frigore. quid verò ac
rem noſtram accommodatius ex
cogitari poteſt? non per idem o
adulator ignium vomit globos, &

iacula

iaculatur mella? inde fella, & rursum mella, rursum ignes, roremq; fontemq; extinguendis flammis? non nunc spargit lilia, nunc vina & crocum, & quidquid Arabia odoramentorum felix prædiuite fundit sinu; nunc fundit toxica, & quidquid noxium non vno loco fœcunda malorum tulit tellus? idque eadem non rarò hora. mella & rosas in præsentem, spinas & fella in absentem, voluntate tamen vtrimque noxia. In quo hoc etiam non dissimile. si in virum incident, & verè virum, omnis illa frigescet palpatio, languescentque verba fallere docta, masculæ mentis calore excussa: sin in frigentem tepentemque incurrerint, non magno negotio, improbo linguarum flabello accenditur ignis, abitque in flammam eo tenaciorem, quo lentior materia fuit tardiorque ad incendium.

Fuit non vnus qui Ægyptiæ palmæ adulantem conferret. neque

imperitè. ſedat illa ſitim ſi prius quàm maturuerit decerpatur. nam ſi adulta iam & matura carpatur, ſenſum intercipit, greſſum prepedit, linguam retardat, obſeſſiſque mentis officiis, ebrietatem imitatur. eadem de adulantibus cogita. decerpe antequam inualuerint, antequam radices altè iecerint, nec ſitim metues noxiam aut ad nocitura ducentem : ſin exſpectaueris dum robore ſuo coaluerint, & maturitate validi imperare domitos famæ, gloriæ, fortunis didicerint, quidquid eſt virilis ſenſus, quidquid nominis, adeoque & mentis bonæ, noxio ſuo ſuctu exſugent hæ muſtulentę palmę, dum totum hominem fatuo mentitoque detinent errore, bacchantibuſq; ſimilem poſſeſſorē ſuum ſtatuunt. quamdiu fatuo hoc bacchoplenus nihil pręter nocitura hęc vinarea dolet, irrita cadent vota conatuſque mentis ſanioris. excute hęc vina, & redde hominem ſibi, liber-

tati

tati suæ, vt aliquando sentiat quàm fœdè innatauerit huic torculari, quàm miserè his cõpedibus ac seruituti illigatus iacuerit, & meliora spondere sperareque poteris.

Alius lunæ adulatorem composuit. quæ modò curuatur in cornua, modò æqua portione diuiditur, modò sinuatur in orbem, maculosa, eademq; subitò prænitens, immensa orbe pleno, ac repente nulla, & attrita mensium numero, rursumque redornata, rursum extrita, aliàs pernox, aliàs sera, nunc pallens, rubens, minitans, varia promittens, ludens, fallens. eadem propè in adulatoribus reperies. modò incuruãtur in cornua vt noceant, modò in orbem se flectunt, quo faciliùs si stringeris elabantur. nunc maculis simulatæ mentis variantur, tristes exinde, pallentes, rubentes, diem fugientes, deliquio similes. nunc læto prospectu, ore ridente, fronteque oculisque multa promittentibus,

spe plenos in quoscunque incurr
rint dimittētes; & exinde nimiùm
credulos amatores suos ludente
cùm magni illius orbis, diuitiisq
sponsionis vix vmbrā reliquerit
procul hinc, procul ab infelici in
fidere tam variè ludente, fallen
tam nunquam nusquam fida cul
res suos statione firmante. nihil
tò illi credi, nihil committi pot
tenere te arbitraris? elabetur. am
cum putas? hostis est. eoque p
tissimùm tempore periclitabe
quo tutissima credes.

Infelix eorum conditio, qu
hæc mala circumsederint. nunq
tuti, & in alta pacè minùs secu
quàm inter armatos hostes. inf
liciores etiam Principes, quor
aures obsidet hæc turba, eo spissi
quo faciliores illi in metum, in s
spiciones, in credulitatem sunt, &
quo præmia maiora fallentibus bi
nata quàm à priuata manu. quanto
enim celsiore quisque loco firma
uit gradum, tanto præcipitia cir-

cum-

uerritque tanquam paleam Aquilonibus raptam, cuius non robur frangat, animosque proculcet? eadem in humano pectore cogita quamdiu serpit humi, & tenuibus contentum naturæ viuit, ingeni pace decurrit hunc campum. at vbi pulueris pertęsum, alta circumspicit, & ad prærupta gradum pet aspera & dura circumfert; quantis terroribus impletur? si quid superne imminet, ferrum capiti, securim ceruicibus cogitat. sin in summo steterit, horret ad celsitudinis sua præceps. nec alio eget impulsore, ipsa enim altitudo trepidationis caussa est. Quòd si accesserit impellens dextera, æmulæ cogitationes, delationes falsæ, criminationes, proniorad metum semita est. In tam expedita magnorũ ad formidinem mente, in tam auido laudum potentiarumque suarum pectore, si adulator manum admouerit quid speremus? non potentia omnis sociata ambitione & com-

placen-

cùmspicit maiore trepidatione, & ferè ad quæ metuimus faciles sumus, credulitas timoris socia est, maximè cùm magnitudo pondere suo deprimat. iam cùm insidiæ ferè doliq́ue circumstent alta, prona ad omnem suspicionem semita est, eo magis quo ex suo quisque pectore alios metitur. In plano nudaq́ue humo firma statio, audaxq́ue arenę proculcatio est: celsa pauorem ingerunt. rupibus rupes, & montes montibus insedentes, præruptis hiatibus nobiles, grandine, nimbis, imbribus, fulmine frequentati, terrorem horroremq́; incutiunt. ita mare ventis naufragum, dum lambit relambitq́ue percutitq́; repercutiturq́ue tanquam in datario pilæ lusu littora, prouocat spectatorem ad fiduciam sui. at vbi decumani insurrexerint fluctus, & seipso iam grandius, ac quasi fastu plenum, montes superstanteſque transilit rupes, & quidquid validum ingenti perflat murmure, e-

placentia sui, facilis pronaque ad adulantium laudes, alienasque criminationes est? ipsa sibi prima videri cùm velit, & res negata, prima tamen assentantiũ vocibus statuitur. si dignitate meritisque prima, nil opus alieno ore, res loquitur. si inferior, primas alienis labris occupat. vt si potentia desit, virtute tamen rerumq; gestarum, aut gerendarum gloria, prudentiaque suorum emineat assentationibus; re ipsa nudata licet omnibus. ita imbelles, timidi, auari, varioque scelere notati; fortes, magnanimi, liberales, omnique virtute clari prædicantur. Quid speres his linguis impellentibus, & pro vitio virtutem designantibus? quam morum emendationem in viro Principe, natura, educatione, aut consuetudine aliorsum à virtutis semita rapto? cùm & amor sui cęcus velauerit oculos, & adulatio falsũ pro vero obiecerit? oculis suis qui non videt, aliẽis verò qui nil nisi bona,

& à virtute nata videt, quid videat in emendationem? auribus qui sibi animoque suo obsurduit, quique præter laudatorem nullum audit? quibus impellētibus rectum à prauo dinoscet, cùm recti nomen prauа induerint? misera magnorum conditio, cùm vera audire nolint, quia aduersa, quia conceptæ apud animum suum opinioni contraria, quia volunt audire probi; falsis verò quocunque colore vestitis gaudent, quia votis suis amica. miseri quibus nemo malum, malum; bonum, bonum; virtutem, virtutem; crimen, crimen denuntiat, omnes quod velle eos credunt, narrant; sint improba, sint à parum prudenti consilio, sint extremæ dementiæ, temeritatis, sceleris; si proba, & à virtute prognata velint, sub fallaci hac linguarum incude, cogitata, dicta factaque sunt: nec quidquam certius aut testatius illis. & sanè cùm nihil expeditius quàm credere quod optamus, quid facilius

quàm

quàm persuadere talia esse, qualia potentum pleriq; esse volunt? inditum enim cuique quod amat velle, pronumque rapi in desideratam rem credulitate ductore. tacerem nisi raperentur in interitum. hinc illud Ecclesiastici: *Ciuitates muratas diuitum destruxit, & domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissoluit.* Cap. 28. de bilingui & susurrone illi verba, subdit: *Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam.* nec nouum hoc. ferè enim qui gladio, antè ceciderunt lingua: vt cotem arbitreris linguã acuendo, incudem cudendo ferro. ita non prænuntia modò, aut præambula, sed odiorum bellorumque incitatrix incentiuaq; lingua est. flabellum follemque credas igni accendendo, flammæ excitandæ. atque hinc illud eiusdem: *Beatus qui tectus est à lingua nequã, qui in iracundiam illius non transiit, & qui non attraxit iugum illius,*

& in vinculis eius non est ligatus causſam addit: *Iugum enim illius iugum ferreum est, & vinculum illius vinculum æreum est: mors illius mors nequissima, & vtilis potiùs infernus quàm illa.* poterat grauioribus deterioribusque componi? iugo ferreo, æreo vinculo, morti adeoque & inferno comparat; leuioresque inferorum pœnas bilingui arbitratur lingua. dura censura. maximè quia à spiritu sancto profecta. nulla hic crescens adterrorem dictio. nuda verba sunt veritatis primæ. mentiri nescit, aut verbis ludere: audiamus adulantium ab eodem Spiritu in Regio Propheta descriptionem: *Non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est. Sepulcrum patens est guttur eorũ, linguis suis dolosè agebant. venenum aspidum sub labiis eorum.* aspidi qui credit, quid nisi venena speret? aut quis misereatur amanti toxica? & alibi: *Exacuerunt vt gladium linguas suas: intenderunt*

Ps. 5. 13.

Psal. 63.

arcum

arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum. subitò sagittabunt eum, & non timebunt: firmauerunt sibi sermonem nequam. narrauerunt vt absconderent laqueos suos. gladium, arcum, sagittam, laqueũ denuntiat ab ore adulantis, sub amico vultu vulnerantis, interimẽtis. eadem propè habes apud Ieremiam: *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum loquuta est. in ore suo pacẽ cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias.* audienti interminantẽ: *Nunquid super illos non visitabo, dicit Dominus. aut in gente eiusmodi non vlciscetur anima mea?* Et apud alium: *Dilexisti malitiam super benignitatem; iniquitatẽ magis quàm loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa. propterea Deus destruet te in finem, & euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo: & radicem tuam de terra viuentium.* timeant potentes, quorum

Cap. 9.

Psal. 51.

quorum auribus sub mellis fauo toxica hęc infundantur. neque enim in allentatorem tantùm, sed in omnem credulum & obaudientem grauis interminatio insurgit. Destructio in finem æternitatem loquitur: exulsio, & de tabernaculo emigratio in posteritatem protenditur: eradicatio in omnem vsque & vsque progeniem abit. timete potentes, & quibus faciles in allentationem aures. non stat credulitatis huius vindicta in vno capite, decurrit in posteros, sæuitque in omne germen, nec altè defossę radici aut semini parcit. grauis ô nimium vindicta quæ in innocuam transit posteritatem, & ad necdum nata prorumpit. Felices qui hoc infelici aurium pruritu carent; magis etiam qui potenti manu arcent & se in libertatem vendicãt labiorum mentientiũ. monet Sapiens

Eccli. 28 *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras.* prudenter spinis se-

pien-

piendas monet, ne mollium labiorum attactu in fraudem pellantur: ne Sirenum his vocibus à recto bonoque abducantur. sed vt suffocetur ab oppansis spinis malignum semen solo domini sui interitu fœcundandum: quin magis, eant ad Deum preces, fluant lacrymę, trahantur imo suspiria pectore, vt aliquando tandem dura hac sæuaque labiorum seruitute, vipereaq; linguæ insidiis, mendaciisque oris laqueo erepti, sine fraude doloque planam Domini viam felices decurramus: vt B. Iob sponsionibus diuites, libertati *à flagello linguæ*, Cap. 5.
non timeamus *calamitatem cùm venerit. In vastitate & fame* ridentes, *& bestias terræ non* formidantes. valentissimę hęc mentis testatissima indicia sunt, & mentis lenociniis vacuę, omnique assentatione maioris, vt quæ generoso ausu conculcauerit hęc venena, & obduruerit ad Cyrcea hęc pocula, riseritque has improbi oris pectorisque,

que, mella, rosas, saccarumq; exemp
suum mentientes pedicas. vt omnes as? f
denique decipula hac maior, obiquidq
rat nobili protritu noxios hos sceptra
pios calcaneis insidiantes. Beat sentie
repeto, beatus, cui hęc felicitissimo
concessa, magis si Princeps fuerit dignat
si diademate aut sceptro clarus, nos liu
in exitium Rempublicam sceptus.
trahat, dum his incentoribus sanitur, qu
in optimos, præmia largitur iniuitia i
probis, dum probitate damnatur, crim
virtutem fastidit, vitia amplectens minas
facilis in suspiciones, æmulationes rum.
odia; tardus incredulusque ad tebat
liorum laudes, celer in delationes, sunt ap
Deuita quisquis es hos irrespirabi pellun
lis profundi scopulos, hęc inexpu ab illo
tabilis Oceani breuia, hos Ætnæ ta ma
montes fuligine & ignibus infa quàm
mes, has Rerumpublicarum pestes Reipu
in regnorum exitium natas; nec deles
quemquam ad aures admitte corum tu
non probata antè virtus & seriò di dam si
scussa, propositis in hanc rem vir enaui
tutum vitiorumque in sequelam diuitia
exem

exemplis. Vis nosse cui tutò cre-
das? finge vt antè dixi scelera, &
quidquid indignabunda solent
sceptra, quidquid iratum aurum.
senties animum. finge in proba-
tissimos odia, in religiosissimos in-
dignationes, in sanctissimos æmu-
los liuores, in doctissimos contem-
ptus. videbis quo flumine prolua-
tur, qua intus flamma luceat. con-
uitia in optimum quemque iacula-
re, criminationes in integerrimos,
minas in omnem dignitate cla-
rum. & prodet se si quod intus la-
tebat malum. nouacula enim illa
sunt apostemati recludendo, scal-
pellum venæ incidendæ, vt discas
ab illo pure, ab hoc sanguine quã-
ta malignitas præcordia teneat:
quàm parum tuto te, salutem tuam
Reipublicęqúe credas. ô fuge cru-
deles terras, fuge auida optimo-
rum sanguinis littora, fuge infi-
dam stationem quisquis potentûm
enauigas maria, quisquis dignitatũ
diuitiarumqúe Oceano veheris,

& tu-

& tutioribus te crede terris, firmiori littori. aderit Deus, dirigetque te potenti sua dextera ad optatum æternæ felicitatis portum: tantùm sequere monentem, præeuntem. mens ori, menti respondeant labra, facta dictis. cogita indignum viro mendacium esse, fœminei timidique pectoris signum esse. Nescit virile pectus, virtute Christoq; suo plenum mentiri: & antè, tormentis, morte, mendacio proposito, cum Susanna tormenta & mortem deliget. nescit mentiri Christi miles, ignoratque ementitas linguæ blanditias & aliorsum à mente sua velificantes. & vtquisque Christo suo coniunctior, hoc mendacio, à linguarum fascino, ab adulationis stibio remotior est, mendacio & assentationibus hostis. itamus arminius, si nullus nisi per sordes effugij locus, antè in inimica ruit agmina, & venatorum audax induit venabula, quàm obiecto se contaminet fimo: nobili Christianis

nis exemplo, qui antè per mille calcata tormenta, intrepidi ad veri trophæum euolabunt læti, quàm vitam mendacio aut assentationibus tueantur. præit Eleazarus ingentibus animis. verba ipsa dabo. *Non enim ætati nostræ dignũ est fingere, vs multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonagintaannorum transisse ad vitam alienigenarũ: & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam.* quare *glorioſissimam mortem magis quàm odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad supplicium.* non modò ne porcinam carnem manducaret, sed ne simularet, aut viderentur manducasse. sunt hę ferè simulationes in purpura educatorum: qui vita, dignitatibus, opibus præmio,

mio, ad quæ non Christiano indigna se abiiciunt? alia olim Eleazaro, omnique nunc virtutis sectatori stabit sententia. recto ambulabit calle, simulationis ignarus, veri amans, assentationis hostis. accedant minæ, exilium, paupertas, & à sceptris tormenta, stabit impauidus; nec flectet ceruices mendacio, non ora referabit adulationi, non assentationibus aures: & antè cum Christo suo crucem clauosque deliget, quàm vel crimen deflectat à magno Vero, vt illo duce & præmiatore verissimis cœlorum potiatur gaudiis. à quibus mendacium, & quidquid assentationem sapit, tam exulat æternùm, quàm veritas, mentisque orisque candor inhabitat æternùm. quibus vt aliquando fruamur, insistamus dum vita manet illi semitæ, quæ nos ad optatum deducat portum magni Veri, magni Dei, omnis mendacij, assentationis, simulationisq; hostis, iudicis, vindicisq; acerrimi.

CAPVT

CAPVT XII.

MORS. *Ad huius te contemptum duco. magna spondeo. assidua horum meditatio hæc dabit. illis grauis mors accidit, quos è deliciarum, voluptatum, opum, honorum medio imparatos rapit neque hic locus precibus. nulla prærogatiua sceptro est. felix, ô nimiùm! cui omnis dies fatalis, hora omnis postrema, momentum omne vltimum est. felix cuius auribus assiduùm feralis intonat buccina, Moriendum. fors hoc momento & illud, Viue vt vixisse velles cùm mors iugulo inhærebit. & aliud, Vis æternum viuere? disce mori. vis nunquam mori? semper morere. Mortem hanc tutam, intrepidam, audentem meditatio dabit. neq; enim timere potest, qui didicit mori. non curis agitur, non molestiis fatigatur, nõ succumbit aduersis. sed neq; ad sceptra aut ferrũ expal-*

expalleſcit cui omnis hora extre-
ma eſt. minitare. ſcit vltra mor-
tem nil minas poſſe. oſtenta mi-
cronem, ſecures, laqueum, igne-
mors his finem ſtatuet. quam qu-
contempſit, contempſit illa, & ma-
ior iam his omnibus eſt: nam qu-
contemnit, contempto maior eſt:
& ſpreuiſſe viciſſe eſt. iacet qu-
ſpernitur.

Pſal. 17. *Circundederunt me dolores mor-*
tis, & torrentes iniquitat-
conturbauerunt me. Dolores infer-
ni circumdederunt me, præoccupau-
runt me laquei mortis. Dura mor-
Eccli, 41 *quàm amara eſt memoria tua homi-*
pacem habenti in ſubſtantiis ſuis, vi-
roquieto, & cuius viæ directæ ſunt i-
omnibus? acerba ſors! moriendum
& hæc quæ paraui cuius erunt? mo-
riendum? & hæc dies fortè vltima
hęc hora? dura neceſsitas! quid hę
his opibus? poſsidebit heres im-
memor teſtatoris? aut quò mih
recordatio heredis? quò memori
me

mei? nam quis sensus post mortē? laudabunt? quid mortuo laudes? damnabunt? quid mortuo iacula-ta probra? dura mors! quid momento resecas tam amica? quid disiungis ab ipsa conceptionis ianua inenodabili ligata naturæ vinculo? sperabam æterna. & in medio, adeoque vix inchoato cursu, secas vna falce tantas cogitationes? quid hoc? inexspectatum rapere, eoque potissimùm tempore, quo aliæ omnes cogitationes me tenebant, remotissimæ ab implacabili sæuitia tua? vix intuli delitiis pedem, vixque adeo extremis labris gustaui voluptatum mella, & rapis inter tot sperata? & moram negas? tot parta sudoribus, tot quæsita curis, & laboribus, vna rapiet hora? nihil hic nobilitas, non sanguis regius, non retro longa maiorū nomina, non cœlo propè inuidiam facturapalatia, auro, argento, gemmis, ab vltimo Oriente Occidenteq; defatigatis nauibus variegata,

quidquam poterunt? non frangent minas? non mollient ferrum? non intentata retrahent tela? nihil inuenta, nihil acti honoribus dies? nihil meorum fida custodia, nihil circumfusæ armatorum manus? nihil propugnacula Soli propè inuisa? nihil carorum preces, nihil lacrymæ? ô omni sæuior læna! placata tam hanc non semel accepimus hostia mili prece, & innoxium transfixo verticem. te nulla miseratio tenet, non pietas, non casti mores, non vita intaminata, non quidquid terris cœloque magnum. quo ruis indomita? moriendum? & forte hac hora? latronem si monitus exspectem, si hostem; ludam? dormiam? securus vitam transigam, & tanquam in alta pace inermis secudeam? audiamus munentem: Si Matt. 24. *sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. ideo & vos estote parati, quia qua nescitis hora filius hominis venturus est.* &

Dies
niet
ritas
inter
quis
certi
que
illius
te vu
mian
inern
niet
N
sus,
tacta
titin
fractu
adeo
delin
culos
mina
lum;
ambu
qua
opes
si qu

Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet: cùm enim dixerint Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. 1. Thes. 5
at quis fur? quis hostis? quis morte nocentior latro? quis certior, crudelior? & ego me vitāque meam credam illi? ego ferrum illius exspectem, hauriamq; rideute vultu? securus, altumque dormiam latera cinctus inimico telo? inermemque me nudumque inueniet hostile ferrum parcere nesciũ?
Nam si vnus aliquis transiit illæsus, si quæ fælicitas perpetuauit nõ tacta hoc fulmine, si quæ tiara stetit inuiolata, si quod sceptrum infractum, si quæ arma non collisa, adeoque non collapsa tamquam à delinquente animo ante huius oculos, si quæ rupes excussit huius minas, si fregit vibratum huius telum; sperare possum. si qua vis inambusta transiit huius flammas, si qua senectus elisit conatus, si quæ opes saturarunt auaras has manus, si quę regna aut imperia non

trepidarunt ad huius iacula; spera
re audeam. si quod robur non ce
sit tanquam falce demessum, a
tanquam cera Sole medio, aut ni
diis cincta nix ignibus; vereri de
sinam. sin nihil intactum transi
has manus, si nulla vis, preces nu
lę, auertere, aut aliorsum flecter
hæc tela valuerunt, quid speremi
pares nascimur, eodemque telo ce
dimus, diuites, pauperes, validi
inualidique: nec cuiquam certior
aut protractior hora, quæ securum
faciat vel ad momentum. ita à tam
breui, tam dubio, tanquam aban
nearum telis, aut si quid teneriu
si quid fragilius illis, pendet omni
hæc vita, & quæ hanc sequitur æter
nitas. monuit olim Poëta:

Properat aursu
Vita citato, volucriq́ue die
Rota præcipitis vertitur anni.

Rotarum more & quidem in pre
oeps raptarū voluimur, nec adfe
tura mentem reflectimus, aut à cur
volubili cursu labentibus animor
seuocamus. O quæ

O quando saniora consilia? intuere mortem propiùs, si non vt culmos falce demetit rusticus, iuxtaq; plenos radit ac inanes, ita falce mors sua, fortunæ plenos bonis æquè ac inanes demetit, parcere nescia, ac hilariùs etiam fœcundiusque certiusque fertur in plenos, tanquam messi maturiores, & qui affatim biberint, nec vacuitate sua fallant falcem; sperare fugam aut salutem potes. Et virgulta quidem non rarò ventorū ludunt rabiem, dum flectuntur, non franguntur; rigidior tamen frutex, aut quæ iam excreuit in arborem, ignara flecti, frangitur. at vbi mors pedem aut ferrum admouit iugulo, virgulta iuxtà arboresque cadunt. nec vlla, flexili superbóve vertice, non latè patula, aut prole sua diues, non denso septa nemore, aut solitudine visenda, illius aut conatum ludit, aut fallit ictum. Dura mors! nullis auertenda precibus, nullis aut armatis minis, aut supplicibus

votis, quàm certa venis, quàm inexspectata? quàm certò interminata, quàm parum cogitata? & finem statuis diademati & sceptro infulæ & opibus, voluptatibus & crapulæ, iuuentæ iuxta ac senectæ pauperisque tugurio & diuitis gazæ. Et tamen à te vna pendet æternitas, illa felix aut miseranda, vtraque æterna, neutra reuocãda, neutra rescindenda; semel lata, semper adiudicata. appellationi locus nullus, non nouis votis meliorabusque concessus. quo momento rapitur, eo præmiatur quisquis ille subitque felicem infelicémve æternitatem, felicis infeliciſve æternitatis. Non regnis, non purpurę, non auro aut gemmis, non fictilibus aureisque parcitur, vbi ad illam metam ventum est semel.

Et interim quæ parauit cuius erunt? agri, palatia, horti, statuæ quocunque marmore aut ętate laudentes, quacunque lasciuia aut arte prouocantes, argenti aurique pondera cuius erunt? tot sepolita

delitias, æraque lasciuientia, & solis meritò ignibus nata, quia soli libidini facta, dum naturam æmulantur, ignes, licet ipsa frigida, omni Ætna ardentiores, iaculantur, cuius erunt? cuius petulci penicilli, & in alienis suisque sordibus ingenioſi, possessorum suorum, & quorumcunque spectantium improba scurrilitate illices, cuius erunt? iam quoties ab his, oculis animisque intuentium flammæ natæ, non accendentur testatori flammę? nam quid hęc sunt aliud, quàm ignium nutritij, & supposita pix flammis, oleumq; fornacibus immissum? vina verò per consules suos aut ætates numerata, sepositæque cellæ in alterius ætatis annos cuius erunt? cuius lecti, & mutatoria mollem dominum lassantia? cuius fastidientis stomachi prouocatoria? cuius condimenta in quibus quęsita fames nauseanti domino? vna hęc abripuit hora. Et quò mihi hęc, si hisce, ignibus ster-

nitur via, & sternitur æternatur
quò mihi hæc, quorum pertenue
fruitionem, perennatura sequit
pœnitentia cito pede? quò hæc
plus doloris, amissionis record
tione, quàm delectationis, modi
fruitionis præsentia secũ trahun
nam quis moriens, si delectui le
ens, non eligat caruisse? quis mo
riens non exoptet præuiam vitã
moresque contemptorum horum
Quod tunc factum voles, cùm pr
dentia in sumo est, cùm ratio pr
ualet, cùm sapientia clauum tene
cur non sequeris valens? potes tu
tò nauigare secundo faciliéque ve
to, quid exspectas tempestatem d
decumanos fluctus? potes te erip
re integra naui, quid tabula salu
quæris? potes te in tutum deduce
re rebus integris, quid exspect
extrema? sera, dum mergeris, ex
tio est; sera, dum peristi, prude
tia est: ille prudens est, qui ant
prospicit mala, qui se suaque sub
ducit cautus; qui anteuertit futur
pr

præprouida subductione. temerarius ille, qui cùm potuit, noluit, & deliberationem coniecit ad extrema, sera pœnitudine, qui consilia circumspicit naufragio facto.

Prudenter Ecclesiastes Regius, cùm penitiùs introspexisset singula, prorumpit in hæc voces, *Detestatus sum omnem industriam meam qua sub sole studiosissimè laboraui habiturus hæredem post me quem ignoro, vtrùm sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudaui & sollicitus fui. & est quid tam vanum?* &, *cui laboro, & fraudo animam meam?* imò cui perdo eam? hæredi? quò mihi hæres in ignibus æternis? nisi vt accendat illos; & dolorem dolori, tormenta tormentis, ignes ignibus immittat; vt qui cùm opibus scelerum illi materiam subministrauerim, pœnarum recipiam incrementa, crescentibusque illis in diuite hæreditate, crescant & testatori supplicia. Eccl. 5.

Iam post mortem vt primùm a
nima dimissa in magnum illum ſe
um diem, quis corpori honos? q
non horror cadaueris? momen
pœdor putoréq;, & forma iam n
la. momento cinis & rigor & fe
gus, & carorum fuga. & tam
huic cadaueri quæ non parata? a
rum & gemmę, delitiæ & hort
rum amœna, fontium in tot ani
malium rupiumque prodigiosa
mulatione mendacia, tot inferna
ſuperneque, lateraque ambient
ſcaturigines, ſpectatoremque ſuen
fallentes, tot monſtra aquam ve
mentia, tot innerecundo mendi
cio laſciuientia, cui, ſi non huic c
daueri? ornamenta & odores, vin
& molles thori, purpura & omn
auguſtior ſuppellex à terrarum v
timis in luxuriæ admirationem c
uocata, cui, niſi huic corpori? in
tuere, quàm prudenter, tecumque
cogita: neque enim alieno op
conſiliario. & videbis, corpori ſo
li hæc parata, nam animę quis ac
rum

rum, aut cogitauit purpuram? quis regna, aut electibiles cibos, quis odora vina? quis hortorum fontiumque portenta? quis tecta auro laqueata, quis vermiculata gemis? neque enim aut auro, aut gemma tegitur, non clauditur parietibus, non reparatur odoribus, non pratorum, nemorum, hortorumque delitiis capitur. corporis hęc sunt. nam animus omnibus his maior clariorque est, ridetque hęc si seipsum intueatur, vt indigna generi suo, vt calcāda pedibus, vt ignobilia elementa, tantoq; magis infra se posita, quanto ex elementis coagulata minora sunt cælestibus, quantoq; hęc antistant illis. quidquid ergo hic magnum, totque impendiis curaque conquisitum, corpori fuit, cadaueri fuit: cui si moram dederis non multorum dierum, in serpentes, bufones, vermes, ac venenaria quęcunque, tanquam in amica sibi degenerat.

Intuere deinde, quæ huic à te
ſollicitudinum tuarum h, rede, tra-
dita. quid vilius terra? huic con-
creditur hacque vna tegitur. qua
quid natura dedifſet vilius, vilio
committeret.

Huic, cuius votis modò non ſuffe-
cerat aurum,
Quod Tagus & rutila voluit Pa-
ctolus arena,
Frigida ſufficient velantes ingui-
na panni.

vbi verò hic forma & opes, vbile-
ctorum mollia, ędium augusta, hor-
torum amœna, veſtium ſuperbia,
delitiarū exquiſita? pars breuiſſi-
turus ignobilis terræ, & ignobilior
pars, eſca vermium. non & mate-
ries? Et hęc eſt illa caro, quæ &
& animam traxit in infelicem ęter-
nitatem. cuius vt obſequerer affe-
ctui, & ſtolidę in ſocia ſibi elemen-
ta propenſioni, nunc angor infe-
lix, & conſilij expers, æternitatis
dubius, æſtuo miſer, iam iam rapi-
endus, & deducendus in aliū cam-

pum,

pum, solus, nudus, rei & consilij indigus, in vastam solitudinem, ad infracta sæuaque trahendus tribunalia, solis accusatoribus sociis & inter tot agmina solus, inermis, incomitatus.

Quanto prudentiùs certiùsque res suas instituunt, qui ita se suaque comparant, vt moriantur morte iustorum. At nemo hac moritur, nisi qui vixit vita iustorum. imitemur ergo vitam, si mortem volumus. pares exitu & præmio sunt, qui pares cursu & lucta fuerunt. imitemur dum tempus patitur, ne serò neglectum doleamus. serò terram respicit, qui haustus fluctibus pleno ore elementum bibit. serò domum munit spoliatã omnibus, serò auxilia circumspicit circumsessus hostibus; serò arma parat inermis inter inimicas acies, serò prodigam manum retrahit exutus omnibus. quid venena inclamas, quæ vltronea hausisti? quid lapsum senescentis domus, & totante an-

nos ruinam minitantis? quid mucronem detestaris quem iponteneus induisti? antè oportuit dum præcauēdi noxia tempus fuit, nunc nudus, inermis, sociis destitutus armis, ære alieno oppressus, ruina insepultus, veneno ac ferro præcordia depascente, sera venit pœnitudo, sera prudentia, sera deliberatio. tunc oportuit cùm res integra moram & spatium dabant.

Et quam sperare debeam pœnitudinem in illa hora, in qua victus morbo, fractus ęgritudine, vix animi satis est vt dolorem perferam, tot vna hora cogitationibus, sollicitudinibus, anxietatibus, inter se validè pugnantibus? cùm plurimùm sera hęc pœnitudo plus adferat desparatę rei, quàm melioris euentus, aut pœnitudinis certæ.

Ergo dum vita manet, dum constant vires, dum adhuc receptui locus, sequamur prouocantem Dominum; *Conuertimini & agite pœ-*

Ezec. 18.

nitentiam

nitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. proiicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Sequamur pœnitentem Prophetam Regium qui sequuti sumus labentem. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* quia *non est in morte qui memor sit tui.* atque hinc exclamat: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum.* nam ferè in morte prævalet inimicus, cùm dilata in mortem pœnitudo est. & rarò vota transcendunt cœlos, quæ extrema vitæ expressit desperatio doloribus fracta, lassata mœroribus, futurorum exspectatione pauida, præsentium spoliatione indignabunda, præteritorum punitione tremula. Atque hinc etiam habes monentem:

Psal. 6.

Psal. 12.

Non

Eccli. 17 *Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil erit confessio. Confitebere viuens, viuus & sanus confitebere, & laudabis Deum, & glorificaberis in miserationibus illius, magna est enim misericordia Domini, & propitiatio illius conuertentibus ad se.* ita tamen vt ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas donec præoccupent te *laquei mortis, & dolores inferni* circumdederint te.

Licet enim non desint qui post vitam sceleribus transactam, totos se conuertant ad Dominum, dum mors propiùs vrget, & pede pede premit. è multis tamen millibus vix vnũ alterúmve reperias, reliquorũ mors vitæ similis nil degenerat à toto cursu. & quàm fatua fiducia est sperare se fore illum è millibus vnum. Latronem fortè obiicies Christo sociatum pœnitentia extrema confessione nobilem. fatebor lubens vnum hunc reperiri qui in crucis vltimo, inter insultantium

tium carnificum verba & minas, Iudęorum ludibria, amicorum fugam, è tormentis auderet stare pro veritate propugnatoribus destituta, clara damnatione feriens improbitatem socij, reatum palàm confessus, meritasque pœnas suas, immeritas Christi: sed vnum tantum, ne inani spe prorogemus emendanda, & vnum tamen, ne vltima desperatione diffidamus meliora. Et finge animo Sullanam aut Luculleam aliquam mensam sub Apicianis mille ferculis gementẽ, vnumq; inter omnia veneno grauidum. quis temerarius quacunque fame proritante audeat intingere manum? quid si præter vnum, fercula reliqua nouercali succo natent, eritne tam cucurbita quisquã qui dexteram extendat fami restinguendę, siti leuandę, crapulæ farciendæ, curiositati explendę? quid verò si porrò pergat manum protendere, non inclames, Caue, venena latent, incertum qua lance,

tutò

tutò abstinebis, non potes sine p
riculo manum admouere. per
sitim famemque quę te trahunt
exitium, non est hic cibus, morse
non est nutritia, Claudiana men
est. siu pergat in stolido incep
non vim adhibebis, retrahesq
etiam nolentem, maximè si am
cus, si cliens, si sanguine etiam pro
pior? & sperare inter scelera aude
bis securâ mortem? inter tot mor
tes sceleribus vitiisque pares, mor
tem latronis, tanquam patinam
nam veneno viduam? si è millibus
vni mors esset subeunda, veret
meritò poteras ne in caput tum
infausta sors incideret, circumspe
ctares, caueres, fugeres, singula,
ne totis satis tutò te committere
quid facies inter tot millia infaus
rum, beatarum verò mortium pa
cissimarum? memento, postan
ram Euclioniam vindemiatio
vuarum: rarior etiam mors bon
mors beata, vitam sequitur impro
bam. & quis à canino vultu huma
nam

nam speret vmbram? corporis hęc. sui est, nec assimilatur alteri. sed & qualis in agone mens & vires, talis exspectari successus debet: respondent luctæ prędmia, operi merces, victoriæ palma. ab ignaua cubatione quis triumphum poscat? quis virtuti debita prędmia è molli strato? sudoribus & vulnere hęc parantur; nec vlla certior corona, quàm quę victoris sanguine purpurata, lętam sæpè Domino gratamq; renouat memoriã. eadem de morte cogita. respondet vitæ, à cuius fortunato infortunatóve decursu illam metire. præmium vitæ bonæ, mors bona; malæ mala est. delige. procul ludus. æternitas ab hoc delectu pendet.

Et volo te hic etiã ad ipsius mortis contemptum ducere. magnum hoc, imò leue est. vide quàm à multis minimis de causis contemnatur. hic pecuniæ naufragium passus laqueo vitam finiuit, hic se præcipitauit è tecto vt creditoris effuge-

effugeret minas, minas, alius ne in hostiles veniret manus, ferrum per viscera adegit, quartus accepta cō-tumelia vitam veneno abrupit, quintus in omni morte, animę per vulnera viam dedit, aut in illius procubuit ferro. sextus repulsam passus inedia vitam finiuit. inuenta & mulier est quę cùm valetudinem viri desperasset marito colligata, comes illi, dux, exemplum, & necessitas mortis fuit cùm se abiecisset in lacum. inuentus & puer Lacon, qui ne seruiret illisum parieti caput rupit; & è captiuis Germanus, qui cùm ad spectacula pararetur, nec aliud haberet quo se eriperet, infami ligno spongiaque præclusit fauces, fuit & alius qui demisso capite ceruicem circumacta rotæ frangeret ita eodem quo vehebatur vehiculo pœnam effugit. lanceam etiam alter qua in Naumachiæ spectaculo vteretur cùm accepisset, totam iugulo suo immisit. mœror itaque, formido, & in-

& indignatio, extrema mancipia mortem docuerunt contemnere. non poterit eadem virtus? aut minora huic quàm dolori ad contemptum robora? intrepidi illi non eunt, ruunt in mortem, & nobis non animus, non color stabit cùm mors propiùs accesserit? & quid euenire Christiano potest turpiùs, quàm in ipso securitatis limine trepidare, sollicitum esse, & expauescere? causa horum. quòd ad sola præsentia mentem conuertimus futurorum ignari aut dubij, vel quòd bonorum inanes quorum desiderio laboramus, iudicem pertimescamus. bene vixisse tuta ad mortem semita est, talibus enim meliora restant onere detracto. quare nec timidè, nec oscitanter componuntur in illum diem quò remotis dominum fallentibus ad meliores commigrabunt. & verè maximum argumentum animi vt prudentis, excelsi, & magni, & ab altiore venientis, ita verè Christiani est mortem

cem contemnere. scit enim qu
turus est, qui vnde & à quo vene
rit meminit. scit quis illum locu
exspectet, cùm sciat cui condit
fuerit. scit quid sperare debeat
cùm sciat quid spoponderit ille qu
dare potest, falli non potest. sc
denique quàm longè hæc vita infu
illam quam exspectat posita sit.

Et quis hanc vitam sine grauibu
incommodis transegit? hic latera
insurgit dolor, ibi capitis, oculo
rum, aurium: ibi pulmonibus, ie
core, pectoréque toto quatimur,
alibi deiectio, catharrus, calculus
colici dolores, renum stomachiq
molesti sunt. hunc sanguinis ma
ligni qualitas infestat, illum etiam
boni copia prægrauat. & tamen
amamus hoc corpus, & æternum
vellemus, aut sanè in extremam æ
tatem protendi hoc domicilium
tam putre, tot casibus obnoxium:
quasi ignoraremus tantum nobis
de meliore, & à qua omnia hęc
exulant incommoda, annorum
dierum

dierumque decedere, quantum miseræ huic quacunque prorogatione accessit. hinc generosior mens conscia sibi vitę melioris quamdiu in hac statione est, ad illam se parat cui & nata & empta est, reliquis verò vitæ huius vtitur vt instrumentis ad illam valituris. & quis mari se committens nauigationem perpetuat, nec de portu cogitat? quis vsque eò impensè delectatur fluctibus, vt propositi sibi termini memoriam exuat contentus iactari, tolli, deprimi, periclitari, sorberi? idem euenire videtur vitę huius cupidissimis, semper hac iactari gaudent, de sequutura vltima cogitatio est, cùm tamen illa ad hanc concessa, & ad hanc solam. imò non vita hæc ad mortem via est, & ad hanc per illam itur? nō mors ad cœlestē vitam iter est? quid exhorrescis iter quod te ducit ad meliora? molestum est? cogita ad quę te ducit, inter optanda repones, & incipies cōtemnere

quod

quod antè pertimescebas, leneque arbitraberis quidquid in illo videbatur graue, dulce quidquid amarum, suaue quidquid asperũ, molle quidquid durum, audebisque vouere quidquid antè expauescebas, nimiamque moram incusare, cuius antè prępropertum gradum accusabas. audi è profunda gentilitate vnum, nec pudeat imitari. ignorare malum est, discere etiam virorum maximo, bonum. ita Philosophus egestatem professus discipulo puero manus satis esse aquæ hauriendæ. *Ego certè, velut ille laturus sententiã de omnibus annis meis dies venerit, ita me obseruo & alloquor. Non timidè me componam ad illum diem quò de me pronuntiaturus sum, vtrùm loquar fortia, an sentiam, an simulatio fuerit quidquid in fortuna iactaui verborũ contumacium* mortem ille quęrit vt athleta campum virtuti ostentandę, adeò non metuit illam, audet pronocare, audet diem illum vouere vt virtutis suæ

circum

circum, vt pugnæ suæ victricem arenam.

Iam ipsam mortem si intuearis propiùs, quid in illa inueniespertimescendum? dolorem? maior in morbis est quàm in ipsa morte. & dolorem non podagricus contempsit, non in partu mater? non inter flagra mancipium? & ne egrediamur veteres, non Mucius in foculo, Regulus in ferrato dolio, Philosophus in mortario? quid quòd audeat inter acerbissimos vesicæ, & exulcerati ventris cruciatus, ex voluptatis officina Epicurus, *beatissimum hunc & vltimum diem ago, & habeor bene.* & Christianus post hos è gentilitate dolorũ victores, post tot virgines prima ætate ignium triumphatrices, cùm riderent inter flammas, vngulas, candentes laminas, forcipes, & insultarent tyrannis, antè lassatis carnificũ dextris, quàm vel frontem rugarent, vel oculum demitterent, post Christi sui sudorem, vincula, flagra, vul-

nera, sanguinem, clauos, crucem, post reserata cælorum adyta de dolore expaueſcet, aut cadent lacrymæ æternaturo præmio propositæ?

Audiamus vnũ ex Epicuri schola. *Dolor omnis leuis est, si ferre possum; breuis est, si ferre non possum.* Christianus dicat, Dolor omnis leuis est, si cœlum intueor; breuis est, si æterna cogito: nec volo tamen currere ad mortem. neque enim venit à virili animo libido illa moriendi. bene Epicurus. *Ridiculum est timore mortis currere ad mortem, aut vitæ tædio in illam properare.* vt coniungaris tamen Christo si dissolui cum Apostolo desideras, beatus. reliqua moriendi vota à metu nascuntur, vitæque aut odio aut fastidio: & ignauos ferè corripiunt, quos rabies quædam aut subita indignatio ad illam impellit. hinc isti qui instantem præueniunt mortem & manu sua occupant. stulti qui alienæ crudelitatis suspiciunt procurationem.

& qui

& quid immanius carnificis & inimici manu cadere, aut sua impotentis ferè & dimissi animi signa hæc sunt, & grauiora metuentium. quare cùm suauiùs sperent sua quã aliena manu cadere, mollius mortis genus eligunt. rarò hæc cadunt in generosiorem aut acriorem indolem: nunquã in eos qui in spem æternæ vitæ viuunt. qui licet hilares venientem mortem excipiant, ad quam se diu composuerunt, nõ ruunt tamen in illam belluarum more cæco dolorum aut formidinis impetu. Magnus gubernator & scisso nauigat velo, diffracto malo, lateribusque quaqua elementum haurientibus, adeoque excusso etiam clauo: & si exarmauit, nauigij tamen reliquias aptat ad cursum, tandemque ex tabula generosus nauigat, nec desperat etiam inter fluctus: scit hos non paucos eadem vi qua sorbuerant, eiecisse incolumes. ita non semel ruina, quos videbatur oppressura,

molliter depoſuit. & gladium m
les ab inimici iugulo reuocan
Non quòd hac ſpe ſola Chriſtian
animum firmet. potentiori robo
re opus eſt ad mortem non time
dam. quanquam & illa leuia a
mum ad ſecuritatem parent, m
tumque mitigent: licet non vn
nerſum tollant. futurorum exſp
ſatio ex ſolido formidinem ad
mit, cœloque repoſita præmia n
dicitus illam enellunt.

Iuuabit etiam ad mortis cõtem
ptum, frequens illius meditatio
nam vt patiendo leuia fiunt ma
(videmus hoc in triremibus, p
ſtrino, ergaſtulis, inter compede
& flagra) ita diu cogitando, neq
enim mortem lætus excepit, n
qui ad illam diu ſe compoſuit.
ſanè præcogitati mali molliorib
venit: nec tam altè ferunt an
diu præmeditata. nemoque n
fortiùs excipit ad quæ ſe comp
ſuerat. at imparatus etiam ad l
miſſima expaueſcit. atque hinc

Ph
iam ad
hinc et
medita
didicit
eſt, cert
Proc
gitatio
que ne
ra imp
ritis &
nimos
lia fere
diatore
rarò pr
aduerſa
gladiu
& non
menda
nim pa
animus
ſtore c
murati
eſt qui
tur: im
piamus
prorum

iam ad leuissima expauescit. atque hinc etiam verum illud, *Qui assidua meditatione mori didicit, seruire dedidicit, supraque omnem potentiam est, certè extra omnem.*

Proderit etiam frequentata cogitatio aliquando moriendũ, hancque necessitatem omnibus à natura impositam, quæ res etiam imperitis & ex infima plebe ingentes animos dedit, dum se ad ineuitabilia ferenda componunt. ita gladiatores olim antè, & in ipsa non rarò pugna timidissimi, iugulum aduersario præbebant vt errantem gladium certiùs sibi attemperarẽt. & non prudentis est ferre quod emendari non potest? magnam enim partem doloris adimit paratus animus vocantem Deum, quo auctore cuncta proueniunt, sine murmuratione comitari. malus miles est qui imperatorẽ gemens sequitur: impigri ergo & alacres excipiamus imperia, & cum non vno prorumpamus in has voces,

Duc me parens, celsíque dominator poli,
Quocunque placuit. nulla parendi mora est.

Scio plerosque vitæ amore teneri, cui tanquam catena colligati nó facilé se expediunt. potuit hęc validiùs colligatos tenere, qui ante Christum finiri cum morte reliqua arbitrabantur. quanquam non vltimus illorum inclamet: *Quid verear? consumptis nihil restat, bona pariter malaque sub mota sunt.* At Christianos quos potior manet vita, quæ sine morte adiri non potest, quid tenebit? diuitiæ, dignitates, voluptates? at illa aliquando dimittenda sunt. & quid interest morte accedente diutiùs illis vsus fueris, an citiùs deposueris? vbi enim ad illam horam ventum fuerit, nihil ad rei summam faciet brevior diuturniórve possessio. nisi quòd maior ex diuturniore consuetudine pœnitentia oriatur. cogita aliquot é familiaribus olim

tuis vixisse, ex his primum mortem inter initia rapuisse, secundum in medio flore præscidisse, tertium ad senectutem seruasse. omnes tamen sustulisse. quem ex his feliciorem arbitraris? illúmne qui intra primos annos portum tenuit, an illum qui seriùs? quem inter nauigantes maria? illúmne quem segnes fouerunt venti, & malacia lentissimo tædio lassauit, an quem pertinaces venti celeberrimè pertulerunt? idem de nobis arbitrare, alios mors velocissimè ad destinatum diu animo terminum adduxit, alios languida mora macerauit. nihil ergo admodum interest tardiùs citatiusque aliquis abreptus fuerit: inter vitia aut virtutes abripi plurimùm refert. virtutem proinde sectemur, vt quacunque hora euocatorium illud imperium sonuerit ex alto, paratos inueniat. ille enim diu vixisse censendus est, quem mors exspectantem meliori vitæ reposuit. neque enim

fuit hęc tam mors quàm commutatio in melius. ille citò abreptus quę inter vitia mors inopinantem deprehendit. nam quid refert octoginta an centum annos vixerit, si inter scelera non tam vixit, quàm continuauit mortem? nisi tu hominem à plantarum aut arborum vita metiaris. ab animi vita hominem censę. non vixit hac vita qui inter vitia vixit. neque enim ex ratione qua vna homines sumus vitam egit, cùm illa ad virtutem non ducat. hanc qui amplexi sunt, licet celeriter vitæ huius enauigarint maria, magnum tamen iter emensi sunt, & diu vixerunt, quia in omnem posteritatem ac cœlum vixerunt:

Quòd si ad æternitatem oculos coniicimus, quantum amabo alteri alteros præcedimus, qui diutissimè vixit & qui breuissimè? stillicidium ad Oceanum, arenam ad illius littora compone. nulli multum è stillicidio & arena perire potest. &

minor

minor etiã hęc vita æternitati composita est. & quem inter mortẽ damnatos arbitrarisbeatiorem, qui primo diluculo an qui sub noctem in crucem tollitur? omnes morti adiudicati sumus. ocyùs ille, seriùs alter iudicis sententiam explet: quem feliciorem, qui inter cœnandum solutus est, an cui nox insequens somnum continuauit morte? neque maius inter nos spatium intercurrit, imò lõgè minus si æterna cogitamus in quę viuimus. nam reliqua omnis vita inanis & frustratoria est, magisq; mortis quàm vitę nomen meretur: cùm sola animę vita vitę nomine donanda sit; qua viuunt qui virtuti qui Deo viuunt. cui quicunque vixit, imẽsum vixit, paucis licet annis vixerit. immensa namque spatia post se reliquit, peruenitq; ad illam vitam, ad quàm Christi sanguine empti sumus. qui sic vixit, securus vixit. singulos enim dies, singulasq; horas vitas putat, adeoque omnẽ

momentum vita illi est tota. si quid addiderit Deus, in lucrum deponit, & pergit illi viuere à quo illud accepit.

Discimus hoc etiam à Stoico: *Quomodo fabula sit vita: non quamdiu, sed quàm bene acta sit refert. nihil ad rem pertinet quo loco desinas, tantùm bonam clausulam impone.* Talem imposuit non qui diu vixit, sed qui bene. neque dies aut anni ad hanc iuuabunt, sed mens virtute exculta. & quantos annos desideras ad vitam laudatissimè claudendam? ad mortem læto animo excipiendam? vis nonaginta? minor in illa ætate vigor ad ardua est, & ipsa longior vitæ consuetudo tenaciùs nos sibi implicauit. sic veteres inquilinos loci consuetudo etiam inter incommoda detinet. & roga ex iis aliquem qui ad eam ætatem corpori suo vixit, paratus ad mortem sit, negabit. annosque etiam sibi aliquot deposcet ad sarcinas colligendas, quasi tot anni non

non suffecerint. nec nouum hoc cuiquam videri debet. omnis enim illis vita quantumuis protensa, breuis est qui illam opibus, honoribus, voluptatibus metiuntur. innumera enim hęc sunt, nec antè finem facient quàm præscindas, porrectior hoc vita non fácit. ferè enim euenire videmus, vt hęc non nisi cum ipsa vita præscindatur sera pœnitudine. Adeoque cum ætate pleraque incrementa sumunt crescuntque crescentibus annis, non antè modum finemq; quàm mors vitæ positura.

Adolescentem deinde intuere qui virtuti qui Deo suo vixit, quære qua fronte mortẽ excipiet, quo animo. Respondebit interritus, Optimo. militem enim se esse imperatoriis iussis obsequentem? scire se non esse delectus sui citiùs an tardiùs euocetur. parére & obsequi se didicisse, ad eamque rem sat animorum se habere: neque breuem sibi vitam videri quæ sat

longa ad salutem est, & quam productiorem noluit cuius nutu res omnes temperantur.

Et ne quidquam intactum relinquamus. quid magnum est diu viuere? vincimur à ceruis & cornicibus totque aliis animantibus. neque illud in manu tua posuit Deus, vt ab eo laudem sperare possis aut debeas. benè viuere magnum est, laudemque promeretur, & hoc tuum est, à tuo ergo laudem spera; fatum ab alieno quærit. & vt optio tibi cõcedatur, quando vis mori? adolescentior non vis, necdum præliabatis sæculi commodis. virum meri durũ est gloria aut illius spe plenum. senectus prudentię seruatus & nepotibus præsidium. vis ergo nunquam mori? at tu memento velle illum nolle qui mori nõ vult. in mortem enim nascimur, in mortem viuimus, nec *habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* & non indies aliquid subtrahitur vitæ, & properatur ad

Heb. 13.

metam

metam magnis passibus? fatui. omni momento morimur, & mori nolumus.

Et quid habet mors mali vt meritò paueas, si vita caruit malis? audi è nudis Philosophis vnum, nec pudeat Christianum imitari, *Cùm ex his vinculis, & ex hoc carcere euolaueris, tum eò peruenies vbi nulla erit molestia, nulla sollicitudo, nulla te senectus poterit affligere: vita autem soluta & tranquilla, quam nulla mala & incommoda consequẽtur, cum stabili quiete, illic in natuna contemplatione philosophando, neque cum turbæ colluuione, aut in theatro, sed in perspicientia veri omnis traducitur.* Quid post hanc è gentilitate fiduciam trepidas Christiane? disce. quin imò altiùs exurge: ad maiora te vocat Deus. neque potest mors Christiano materies mali esse, multorum finis est: nisi vitam improbam mors similis clauserit. quæ ne claudat, præmuniendа erit his similibúsve in cautelam medi-

camentis, Omnis dies extrema erit omnis hora vltima aut vltimæ proxima. omne momentum vitam claudit, omne vita tota est. Pares nascimur, morimur pares, & origini committimur terræ. Nihil intulisti in hanc vitam, nihil efferes nullæ euocatum comitantur opes nulla cineri gloria. voluptas omnis fugit. sera pœnitentia manet. Quocunque te contuleris, eingeris testibus, hostibus, iudice. Nulla cogitatio effugiet Deum, nulla indonata abibit. Sistimur iudici nullo discrimine sceptri & paupertas æquæ. Sola te virtus tutabitur: sola terrebunt crimina. Prudens delectus peritura negligere æternitate proposita. fatuus delectus æterna negligere, perituris immori. Prudens commutatio brevium laborem in perennatura gaudia. stolida commutatio fugitiuorum gaudiorum in æternos ignes. Voluptates, opes, gloriam, nullo suo morituras ferè subsequitur ignis

contem-

contemptum horum cœlo manent non-moritura præmia. In illarum prosequutione errare potes, & æternitatis error est, in illarum fuga errare non potes, & cœlo reposita meliora sunt. Ad Christi vitam si componas tuam, falli non potes; alia si curras semita, falli potes, & aberratio æterna est. Non sequitur Epulonius ignis Lazari vitam, nec Epuloneam vitam Lazari exitus. Delige hic gaudia, ibi flammas; hic illorum contemptum, ibi gaudia, momentanea illa, ignis æternus, de æternitate & momentaneo delectus est. Mors ad æterna via est, & sola est. Portum amas? ventis & mari te commite. cœlum amas? mors enauiganda est, lenis in enauigatione labor est, cui præmia succedunt ęterna. Stulta illius fuga est quam pœna consequitur ęterna.

Addamus in hanc rem quędam Scripturę loca maximè illustria. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Gen. 3.

Dies

1. Par 19 Iob. 7. *Dies nostri quasi vmbra super te ram, & nulla est mora. Dies mei v locius transierunt, quàm à texe rela succiditur. Quasi putredo cons mendus sum, & quasi vestimentu*

Iob. 13 Eccli. 14 *quod comeditur à tinea. Omnis caro cut fœnum veteraſcet, & ſicut foli*

Eccli. 18 *fructificans in arbore viridi. Num rus dierum hominis vt multum cen tum anni, quaſi gutta aquæ maru putati ſunt, & ſicut calculus are*

Sac. 4. *ſic exigui anni in die æui. Quæ eſt v*

1 Theſſ 5 *ſa noſtra? vapor ad modicum pare Dies Domini ſicut fur in nocte, ſ veniet: cùm ei dixerint, Pax & ſec ritas, tunc repentinus eis ſuperue interitus. ſicut dolor in vtero habe ri, & non effugient.*

Hæc ſerius ſcrutator animo v lue, nec timebis mortem. quin gaudebis ad illius nomen, ma etiam vbi propiùs acceſſerit, & monerit iugulo manum, tunc propinquo reſpicies portum, raberiſque vbi exſcenderis, breui tanta ſpatia, tot maria eme

sum, pleriſque qui ante te, aut tecum viuere cœperant, in alto adhuc inter sæuientes fluctus periculis proximis destitutis. & alios quidem scopulis videbis illisos, alios inter breuia salo inhęrentes, multos post naufragium ê tabula terram prospectantes, plurimos etiam fluctibus hausstos. at tu securus mortem amabis portus tui amicum mare. oderint illi qui in spem viuunt vanissimarum rerum, nec salubria illa monita demittunt in pectus. quibus nihil potest esse miserius, cũ turbinis more incogitata mors superuenerit. hinc illi clamores. Quid hoc? non exspectabam. in hoc honoris, opum, voluptatum cursu, plenâ etiamnum animâ ad ignota rapi? vno momento præscindi hęc omnia? etiam sperata à radice & semine euelli? cara mihi ante omnia vita quò laberis? quò auium nubiumque more fugis, ludisque spectatorem? nimirum moriendum est? opes, honores, voluptates

luptates concedo, tantùm vinam moriendum? quin & cum magno Męcenate,

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa,
Lubricos quate dentes.
Vita dum superest, bene est,
Si das, sustineo crucem.

Ignaua mens à qua carminis huius effeminata turpitudo, timoris dementissima pactio, fœda vitę mendicatio.

Vsque adeone mori miserum est, vt quisquam per supplicia malit tabescere, perire membratim, quàm semel exhalare? qui hęc voueat, quid habebit sanctum, vt vinat? non amicos, liberos, non coniugem, non patrem. omnia hęc pretium illi vitæ erunt. & quomodo hic morietur, quomodo viuet, quomodo intuebitur securus lucem tot scelerum conscium? quomodo stabit in illa incertitudine concedendæ aut negandę vitę? Quid viuis tanquam non moriturus? nullum

nullum momentum certò concessum est.

Quanto prudentiùs rem suam instituit, vt dixi, cui omne momẽtum vltimũ est? potest de hoc dici,

Quisquis sub pedibus fata rapacia,
Et puppem posuit liminis vltimi,
Non captiua dabit brachia vinculis,
Nec pompæ veniet nobile ferculũ,
Nunquam est ille miser cui facile est mori.

Ille etenim intrepidus euocatoriã horam, quę mixtum hoc diuini humaniq; secernet, reddetq; conditori suo, exspectat corpori non animo supremam: reliqua quę adiacent tanquam hospitalis loci domum transit vt nõ suam, vt alienas sarcinas: è quibus scit nõ licere sibi plus efferre quàm intulerit; cùm natura vt intrantẽ sic redeuntẽ excutiat, quare nihil est quod illũ magnopere hic detineat, dies namq; hic extremus, ęterni illi natalis est. tũc enim incipiet viuere, cũ onere

deposito

depositō, & tanquam materni vte-
ri claustris reseratis, detractis ner-
uis, carne, sanguine, tanquam de
oppanso corporis, erumpet in a-
pertum, ad meram & puram suam
lucem, nulla ibi serenum vmbra
turbabit. nulla nox adimet, actunc
demum se in tenebris vixisse sen-
tiet cùm totam lucem exceperit,
quam nunc quasi per vmbram ac
per densam nebulā intuetur. quid
ergo quenquā delectet in hoc cor-
pore, quo quamdiu cingitur, spo-
liatur cælesti illo lumine, sideribus-
que in plenū lucentibus? aut que-
usque capitur hoc contubernio fœ-
dæ atq; solidæ carnis? altiùs aliquid
sublimiusq, meditandum. nouem
mensibus nos tenuit maternus v-
terus, præparauitque non sibi, sed
huic loco in quem videmur emitti;
idem de corpore hoc cogita. ani-
mam tanquam vtero circumsepsit,
fouitque non sibi, sed maiori luci,
cui condita. quid proinde times
egredi & deponere hęc nouissima

ac se-

ac secunda velamenta, aut carneã hanc membranam qua tegeris? nemo in hospitio æternat, itinneris instituti finem spectat. perge qua euocaris via, tempus enim est vt arcana tibi naturę referentur, vt liberior affluet aura, vt tibi locumque cui conditus exhibeat, vt aliquando fruaris cui natus. non potes nisi mortis tanquam obstetricis manibus. quamdiu amas concludi hac nocte, & peregrinus abesse à patria domo, quę te tot annos auida expectat, prouocat, allicit? quãdiu iuuat exulare à patria corona, diademate, sceptro, purpura? omnis hora, adeoque momentum omne annus meritò videri debeat cælestia cogitanti. nam quid te hic tenet? confer hęc cum æternis vitæque alterius in quam creati, & pudebit te cogitationum tuarum, quousque imitaris pueros qui ad ignota obstupescunt, & nouitate admirabundi tenentur? inspice. excutiesque errorem. An te rapiunt

hęc

hęc amœna? auium more transuolant, citiusque quàm venerant abeunt,

Quàm citò purpureos deperdit terra colores,
Quàm citò formosas populus alba comas.

An variarum gentium mores? nihilo meliorem facient. & ferè deterrima quęque altiùs inhærent. an immensa agrorum æquora? cogita cœli spatia, tot sideribus inter se lumen miscentibus, illustrata. an irriguæ perennibus aquis valles? æternant cœlorum fontes diuite semper & indefecta vena, nullis nubibus imbricata, nulla alluuie maculata. an secreta scrutaris fluminum, vt Nilus æstino incremento tumeat, vt ereptus non vno loco oculis, magnitudini, suæ Tigris reddatur, vt Mæander Poëtarum ludus crebris implicetur anfractibus? quò hæc superuacua?

Grande operæ pretium est, vt rensos folle reuerti

Iud

Inde domum passus, tumidaque superbus ad undam
Oceani monstra & iuuenet vidisse marinos.

non est hoc peregrinari, est errare. an fors prudentiam & virtutum ab his speras? falleris. quocunque te flexeris, vitia te tua sequentur. atque, ô si sequantur, nec vltrà! tecum illa duces indiuiduo nexu, paribus vestigia tua passibus premēt, paribus incommodis vrent. medicina ægro, non pecunia aut honor, aut virentia quærenda prata sunt.

Non domus aut fundus, non æris aceruus & auri,
Ægroto domini deduxit corpore febres,
Noo animo curas.

Frægit aliquis brachium, aut torsit pedem, num nemora an medicum quæris? & animum fractum ac distortum erroribus, credis locorum mutationibus, agrorum adiectionibus, pecuniarum aceruo, hono-

honorum auctu, posse sanari? mà-
ius est malum quàm vt auro & ho-
noribus curetur. quamdiu malo-
rum causas circumgestamus, quid
speramus meliora? vis meliora? te-
ipsum sana, errores detrahe: nec
patiaris in comitatu tuo vitia. nun-
quam sæuitiam in Neroniano con-
tubernio pones, non luxuriam in-
ter Caligulæa sodalitia, non auari-
tiam inter Tiberiana tentoria, non
saltum inter Tarquinianos hortos,
vis illis exui? longè ab illorum e-
xemplis recede. Tecum habita,
imò cum anima tua habita. illa te
docebit. videbis nobilissimum spi-
ritū quo te conditor donauit quæ-
rentem vbi honestissimè, non vbi
dintissimè viuat: nihil sibi inani
fiducia promittentē, non annum,
diem, horam. scit se hic in mutua-
titio loco esse, à Domini voluntate
mutui repetitionem pendere, ni-
hil sibi arrogantem. scit se quæsto-
ria nic conditione esse, redditumq;
que rationem poscenti Domino.
nihil

nihil ex his opibus, honoribus, voluptatibus asportaturum, non magis quàm intulerit. scit se ea lege veniſſe vt pari decedat; nudum, nudus. scit se ab aliena voluntate pendere: nullamque non dico horam, sed nec momentum cuiquam addictum. quare se suaque in dubium hoc momentum comparat, exspectaturus Dominum Iudicem. quin adeo auidissimè exspectat hanc euocationem, tanquam melioris natalis sui diem. tanquam initium omnis felicitatis, tanquam cœlestium opum, honorum, voluptatum ianuam, eo certiùs quo fortiùs se ad hęc parauit, auocauitque ab humanis, quoque potentiùs hęc contempsit, diuina sperauit, ad quę natus, educatus in spem magnam æternæ felicitatis.

CAPVT XIII.

IVDICIVM PARTICVLARE.

Quò, postquam vi mortis de concre-

tione carnis expressa anima, erum-
perit in apertum, sistetur non iam
vt antè patri, sed iudici. à cuius
tribunalibus omnis exulat clemen-
tia. fuit dum viximus parens, ne-
deoque & mater: esse post mortem
desiit. sed neque lacrymis hic ami-
precibus locus; iustitiæ est, quæ
discrimina ignorat regni & pau-
peris casæ, tiaræ & vilis laternæ.
sistimur namque hic pares. solaque
virtus sceleraque dissimiles sta-
tuent. tutiora proinde sequere,
nec longæ ambages. via te tritæ
recta, falli & fallere nescia, aucu-
to à pœnitendis, à non profuturis
suspiriis, votis, gemitibus, ab æter-
num vrentibus; ducoque ad cæle-
stia, ad perennatura, ad nullopes-
sessorem fine ludentia gaudia.

SOLVS ego hanc viam? vbi comites? vbi fida manus lae-
ra oberrans mea? vbi dexteras claudere solita? vbi socia agmina deliciarum, opum, gaudij, volu-

ptatum

ptatum mearum? solus ego hanc viam? vbi ferrum & in dubiis arma tutelaria? solus ego sistar iudici? solus, mediusque inter tot insultantium, minitantium agmina? inter tot armatas aduersarias acies nudus soluſque ego? inter tot contrariarum partium accusatores, testesque potentissimos, solus ego? in tam vasta tristique solitudine solus? quis defensabit reum? quis aduocatus propugnabit obrutum non vanarum, nec leuium accusationū molibus? quem aduocabo in tutelam? angelos? sed hos contempsi (heu quoties!) monitores. custodem ab infantia cœlo datum? sed huius nullo non die spreui, risi consilia, salutaria monita, & tanquam vento raptam paleam, aut festucam oculis molestam, & negotiis importunam excussi demens. Sanctorum aliquem? nullius circumfero vestigia, quæ meritò quenquam prouocare aut allicere possint in defensam.

Nam quæ in me cicatrices Martyrum, quæ Confessorum tessera, quæ Virginum palmæ, quæ reliquorum signa sequelam testantia? circumfluo vanitatibus, septus deliciis nato voluptatibus, auro gemmisque grauis, amœnitatibus circumseptus, vino ciboque fartus, omni propè scelerum, aut recenti vulnere, aut informi adhuc cicatrice deturpatus, dignitatibus aut iam consequutis aut speratis tumidus; ante hoc tribunal, misericordia tangi commiserationibus commoueri, flectique nescium, sistor destitutus omnibus. & quid sperem? operam ab his, quæ me pondere premunt suo, & ad infimum infelicis æternitatis præcipitium deturbant?

Decurram ad Dei matrem? ante oportuit. & nulla hic nunc vbera matris. fuerunt. an agnoscet filium, quam non agnoui matrem? aut quæ circumspectem aut sperem nunc pietatis pectora? obserata hic omnia. antè patuerunt. fluxerunt

dum licuit vbera matris reseratis totis misericordię valuis. neglexi stolidus. at nunc clausi misericordiæ aditus, benevolentię viscera. fuit cùm paterent vltro oblata, ac quasi inuito obtrusa, reluctanti sanè non semel promissa, ac tantum non in os effusa. aspernatus omnia. & nunc vicissim liberatricis meæ retractæ manus antè exporrectæ, & labanti toties protensæ.

Aduoluar iudici qui *iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua, In die iræ & reuelationis iusti iudicij?* quam nisi pro meritis sententiam exspectem? nam quid aliud sperem à iudice, qui iudex est, nec aliud? fuit parens: esse desiit. fuit saluator: euanuit. fuit miserationis oceanus: elanguit. fuit fons gratiarū: emarcuit. quem ergo inuocem, aut cuius implorem dexteram, aut commiserantis manum? aut quid Christi mei potissimum? fusum sanguinem? erit in iudicium. vulnera? erunt in dam-

Psal. 95. Rom. 2.

nationem. crucem, flagra, coro-
nam spineam, verbera, clauos? sin-
gula damnationis nouæ noui fun-
ctituli, ferendæque letalis sententiæ
perduellionis noua capita. Quid
ergo? quò me vertam miser? an-
cogitatum oportuit. ad cuius ge-
nua prouoluar supplex? cuius ve-
stigia verram osculis, lauabo lacry-
mis, vt vel tenue sperare subsidium
liceat? si non agnoscar à benigniſ-
simo patre, si ignorer à clementiſ-
sima matre, quis agnoscet misе-
rum? aut inter tot agmina accu-
santium, nullo protegente quid
respondebo? ô testes! ô accusato-
res! ô nimis iusta tribunalia! ô pa-
ter! Iudicem agnosco, patrem non
video. & quid speré patrem, quem
non agnoui patrem? volui iudi-
cem, habeo. Dura conditio, mo-
mento neglexi, & æternùm carebo
patre, æternùm sortitus iudicem? a-
lienis semitis, vestigiis, hæreditan-
modicũ insistens, æternùm exclu-
dar patris? acerba sors! vt nihil iam
spera

sperare debeam quàm iudicem, quem exiguo tempore neglexi patrem, miseranda commutatio patris in iudicem, clementissimi in seueriſsimum, mitissimi in durissimum, beneuolentissimi in asperrimum, suauissimi in acerbissimũ. emortuum quidquid antè erat patris; viuit quidquid est iudicis. emortuum quidquid antè fuerat beneuolentiæ, benignitatis, clementiæ, miserationis pristinæ. nihilque nunc reliquum patrium aut miserationis nuperæ: omnia sunt iudicis. miseranda cõditio, magis quia mutari nescia. quò ruam? aut quì feram vultum iudicis, quem habere cùm potui, contempsi patris? aut quid respondebo vera obiicienti? negabo? testis noxius hic animus, sed & vincor, cœlo inferisque testibus. agnoscam? quid nisi meipsum damnem? accedam supplex? fundam lacrymas? miscebo preces? spondebo meliora? fuit cùm hęc prodessẽt, obserati aditus, clausæq;

nunc omnium aures: obducta miſeratiõnum peſſula, quę nulla vis nullę reducent preces. ſtat, ſtabitque ignara flecti ſententia. ſed neque vlla poſt mortem pietas, non miſeratio. ſoli iuſtitiæ campus hic patet. patuit benignitati dum vita ſtaret. hac emenſa, nulla iam benignitas. vltro quoties hęc prouocauit, quoties tantùm non compulit? nimirum obduruerant mihi aures, auro deliciis, honoribus, voluptatibus obſeratæ. nunc illę ante-benigniſsimæ Dei aures occlusæ, vt fruſtra inclamem, ſperem fruſtra. & retroagi tempora nulla vi poſſunt. ſuus enim miſericordiæ, ſuus iuſtitiæ locus eſt. ſinguli theatrum ſuum, ſua roſtra, & ſubſellia ſua occupant, quæ nefas alteri inſidere: ſuum cuique tribunal, regia ſua eſt, quam nefas alteri occupare.

Verùm quæ hęc conditio & viciſsitudo acerba, pro temporario honore, lucello, voluptate, æternis

innu-

innutriri flammis, ignibus excoqui æternis, æternis inæstuare fornacibus, pice & sulphure pasci æterno? pro neglecto cælesti patre breui hoc & fugitiuo tempore, æternum pati & sentire iudicem? potuisti æternum patrem, cur maluisti æternum iudicem? si temporarium, ac quasi momentaneum agnouisses patrem, experireris æternum patrem, non iudicem. nunc mutatis rebus, stat sententia, nulla flectenda prece. Iudex est qui pater fuit, & iudex tantùm. nec meritò queri quisquam potest, cùm denunciatum antè? *Lætare iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito quòd pro his omnibus adducet te Deus in iudicium*, iudicans *orbem terræ in æquitate, & populos in iustitia, facie ad faciem, vnumquemque iuxta vias suas & adinuentiones eorum.* Eccli. 1. Psal. 95. 1 Cor. 13 Ezee. 16.

Quid igitur agam miser? aut quò

flectam precum mearum habenas? quò lacrymarũ soluam cataractam, si nullus precibus, lacrymis nullus locus est, atque adeò nec sanguini? Scio quid agam, eia anime, dum tempus est, dum precibus lacrymisque locus, cogitemus meliora, amplectantur saniora. ac *quacunque*

Eccli. 9. *potest facere manus tua, instanter operare: quia nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* procul proinde hęc blanda, dominumque ridente vultu fallentia, procul frustratoria hęc, stibiata, & cerussata bona. Mentiuntur nomen, mentiuntur vultum, & sub verecunda fronte, ac quasi castis oculis, mens latet meretricia, deceptura si propiùs adspexeris, inflammatura sera pœnitudine si accesseris. & quanto consultiùs deserere, quàm ab illis deseri? perdere, quàm perdi? conculcare & proterere, quàm conculcari & proteri? in vltimas ablegare terras, quàm relegari ab illis infelici miserandæ

ferandæ æternitatis exilio? rideamus & contemnamus, ne rideamur & contemnamur æternùm. vicit qui contemnere potuit, qui intelligere potuit qualia sint hęc sæculi magna, propter quæ miseri stamus infelici sententia inexorabilis iudicis feriendi.

Cogita animę, aurum, argentum, gemmas, marmora. reiectitia sunt terræ marisq; recrementa. & vide, digna ne hæc sint, propter quæ ad seuera hęc tribunalia sistaris ignibus adiudicandus æternis. Et quid ab illis disces? maiora petere. cogita quem orbe toto expleuerint. aut quis vnquam venientibus ostia clausit, & dixit, Satis est? quis securior indormiuit istis? aut cui non crescentibus illis, creuere sollicitudines, anxietates, metus? aut quem hęc demum fecere constantiorem, sapientiorem, meliorem? cùm ferè stolidoribus obueniant. Extra enim hominem suum hæc sunt, nihilque

meliorem illum reddunt quàm equum aureæ phaleræ, calcaria gemmea. nisi fòrs hæc magis etiam feriant. Cogita delicias, & quidquid ingeniosa luxuries inuenit in palatum, ac simul exitum intuere, & pudebit illorum. quid quòd paucis natura contenta pane & aqua vitam toleret, vilique operimento frigus arceat. & quid refert panno tegaris, an prouinciarũ ac regnorum opibus? nisi quòd hæc plurimùm minus frigori medeantur. Iam honores quàm fallaces, quàm amatorem suum ludentes? & quæ in his felicitas, quæ plus odij & curarum trahunt secum, quàm pacis compositæq; mentis? de voluptatibus quid dicam? vincimur à bestiis, & continentiam docemur, & quem non rubor occupet si propiùs cogitet? quin & incontinentissimis laudata castitas, nec vnquàm satis laudata apud illos etiam qui illam prodegerunt, ac vix quemquam reperias tam proiectæ verecundiæ

cundię, tam tritę frontis, post defictum, adeoq; exilio damnatum pudorem, quin miretur & laudet continentiam professos, sibiq; eam exoptet, aliorsum licet trahatur.

Et vt hęc omnia aliquid habeant, quod studium merantur & sequelam? quid sunt enim si concessa fruitionis tempora circumspectemus? vix habita deserenda, sæpè nec habita, nec possessa. & quę ætas nostra? quàm incerti viuimus? quā certi morimur? quàm nulla dies, hora nulla addicta cuiquam? & quàm incerta humanarum rerum possessio? quàm dubia euocamur hora? *Sicut pisces capiuntur hamo,* Eccle. 9. *& sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis exemplò superuenerit.* ferendum si in tempore bono. de malo quid dicam? &, ô si non plurimùm in malo! durum hoc tempore capi, cùm peccatis anima obnoxia, ære alieno oppressa, sistitur iudici, qui ponit *in pondere iu-* Esa. 28

dicium & iustitiam in mensura. cùm visitabit nos Dominus âlia omnia meditantes, & ferè honores, voluptates, opes, *in gladio suo duro & grandi & forti,* non parcere, aut ignoscere assueto. durùm! heu nimiùm! durius si cogitas. à momento æternitas, acerba sors! à tam brevi? à momento æternitas. à putido & falso catharro, maligna febri, inuisa peste, furente colica, crudeli calculo, inuigili letargo, pigro hydrope, depascente cancro, igne exedente, furibunda pleuritide, à præcipiti apoplexia, erysipelate, phlegmone, æternitas? taceo hostem, à cuius manu tot mortium genera, quot suggessit odium. ei iam Regibus metuendi serui. qui enim vitam contempsit suam, factus est dominus tuæ. ita omnis hęc vita ab aliena voluntate pendet, etiam â muliebri, quæ sarma ignoret, non ignorat venena, taceo inopinatos casus, & nulla prudentia præcauendos, momento ho-

minem

minem suum finientes, præcipitia, ignes, flumina & maria. quoties insepultos vna ruina dominum familiamq; ædibus suis audimus, aut à fortuito lapidis aut ligni delapsu, aut improuido iactu periisse plurimos? quoties vbi luserunt nauigia absorpta, vidimus? quoties amica pocula sanguine mista? quoties gladiatorium ludibundum ferrum solius honoris auidum, aliaque omnia præter sanguinem sitiens, sanguinem hausit? quoties pro medico poculo hausta venena? quoties vectoris sui calcibus aut rota excussa anima? quoties sulphureus pulvis sæuiit in dominum, aut ab imprudenti vicini sclopo nõ vnus cecidit? quoties consanguineus mucrocõsanguineo sanguine maduit, quoties hostili? quoties noxia pro salutaribus propinata, vt vnde remediatio sperata, mors sequuta sit? ab exili scalpello, ab vngue resecto aut impresso, à fricta pedis aut leui torsione, à pertenui spina, ab aranei aut scorpij attactu, à morsu

blandientis caniculę, ab exaſperato felino dente, à mille aliis iacent animę: à tam ignobili recula, anima ſolo conditore ſuo inferior, nec vlla res tam elumbis ac roboris expers, quæ non excuſſerit, indignabundam à tam vili, animâ. quid quòd validiſsimus quiſque momẽto ſtetit, momento cecidit: momento Hectore & Hercule plenus, momento elanguit? inter hortorum, pratorum, montium, fontiũ, fluuiorumque amœna, inter riſus & iocos, delicias & ſaltus momento rapimur, ſiſtendi iudici, imparati incogitati: & non plerumque peccatis graues à mediis opibus, voluptatibus, honoribus, etiamnum calentes ſiſtimur iudici. quid exſpectamus niſi illud Euangelicum miſeranda & infelici viciſſitudine notiſsimum? *Recordare, quia acce-*
Luc. 16. *piſti bona in vita tua.* tam breuis vitæ bona, tam rapidæ, tam vento ſimilis, commutari in æternas flammas, & nunquam minas, nunquam iras,

iras nunquam cruciatus posituras?

Ergo dum dies est, dum permittit tempus, insistamus iis, quæ nos impauidos sistant tribunali iudicis. complectamur ea quæ inter illa extrema subsellia patrem nobis statuant, non iudicem. seligamus illa quę sine rubore ab omnibus videri, sine verecundia ab omnibus audiri, sine trepidatione nostra ab hostibus obiici possunt. illa denique sectemur, quę in illo die sectatos nos fuisse vellemus. nulla certior tutiorque regula. nunc aggredere quod tunc feciſſe velles. nunc desere, quod tunc deseruisse velles. nunc delige, quod tunc delegisse velles. nunc imitare quod tunc factum velles. Ea demum prudentia est, feciſſe nunc, cuius tunc non pœniteat: amplexum nunc ea, de cuius delectu & sequela æternùm gaudeas. fugisse nunc ea, de quorum tunc fuga securus sententiam exspectes. quod vt propiùs intelligas, intuere duos, qui eodem momento

mento

mento tribunali illi sistuntur. vnũ opibus, honoribus, deliciis, voluptatibus dum vineret clarũ, adeoque lassum ac fatigatum; alterum egentem, inhonorum, deliciarum ac voluptatum contemptorẽ, fortemque calcatorem. considera vtrumque in exspectatione ferendæ sententiæ. Quem putas vtriusque animum esse? intuere vultum, magis etiam conscientiam præteritorum testem. cuius in illa exspectatione, si concederetur, velles personã induere. sequere nunc quod tunc factum voluisses, & securus exspectabis horam illam, imò, cum gaudio excipies.

Hęc tibi sit norma regulaque vitæ iam deligendæ. non potes errare si in illam horam oculos coniicias, si ex illo euentu vitam instituas, si alieno doctus exemplo mores componas. beatus, si alieno infelici exemplo meliora discas: miser, si infelici tuo exemplo meliora doceas, & ad saniora viam

viam sternas. disce aliorum miserando successu & exitu, non disrant alij tuo. Neqne enim hic agitur de temporario lucro, aut damno; de æternitate sententia fertur. semel lata, ęternùm lata. Quare *dum tempus habemus operemur bonum.* dum etiamnum spes salutis & pœnitentię locus, tutiora & certiora sequamur, & quorum non pœniteat in illo die, in illo tribunali flecti nescio, non miserationibus ęternitatis, aut pœnarum acerbitate commoueri. Gal. 6.

Quid hęremus anxij & difficultatibus terremur? tot vestigiis prędalcata via est, non virorum modò, sed & è prima adolescentia virginum. aspera & molesta carni est, pereat hic illa ne pereat ęternùm. & perdere illam potuerunt Christiana, Susanna, Domitilla, Cęcilia, Agnes, Lucia, Catharina, Barbara, & tot millia, prima omnes iuuenta, flore primo. Tu vir non pote-

poteris? ignauissime miles times sequi virgines ductrices? illæ pergunt intrepidè in hostem, in ferrum, in verbera, in ignem. & tu tibula quæres ad solas pauidus minas? at via hæc madet sanguine quid expauescis à delinquente animo, toro & epulis non militia dignus aut hoste? si non madet modò, sed innocuo natet virgineo sanguine, non poterit peccatoris & securus aspicies diem vlulatuum & sanguinis & letalis sententiæ, qui ad Circi huius agonisticum sudorem & sanguinem trepidas? quousq, sudori & parcis sanguini? breuis omnis vita est, *Vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* tam breui termino quid veneris profundere? nemo cœlo meretit, qui non seminauerit in terris. & monet Apostolus: *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* nemo intrepidus intuetur iudicem, qui non antè armauerit pectus per vul-

Iac. 4.

Gal. 6.

nera

nera & cicatrices tanquam militari lorica. quousque metus per prærupta & ardua conscendendi ad dubium tribunal? non ante nos plurimi *ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt*? ridet in equuleo vnus, & tanquam in molli culcita iacet lætabundus; prunas inambulat tanquam rosas securus alter: illudit Imperatori è craticula alius. arbitreris è suaui pluma: prouocant Præsides in ignibus ad grauiora non pauci. credas è deliciarum mensa ad epulas & pocula. inuicti tanquam ex alto, candentibus se clauis configi, fustibus cædi, facibus aduri, plumbatis contundi spectant plures. lassantur carnificũ manus, & inter vngulas duodennis caro stat interrita: putes rupes scalpello radi, aut adamantes nouacula. lenses, secures, clauos, flammas, & liquatũ permistum sulphure plumbum, vt amica fomenta, vt moni-

monilibus & gemmis cariora tenella amplectitur virginitas, omnium tyrannorum ingenio maior. nec pudet à virgine vinci? non pauce illarum quæ ausę prouocare ignes & in mediis flammis tanquam virgineo procumbere thalamo, vix annum excesserant decimum, nonum, octauum.

Vbi nunc vetus Roma, in timido Catonis ferro hostili metu extorto? vbi audax Scęuolę manus, errorem ignibus purgans? vbi Regulus bello inferior, dolio suo inclusus, ne pro vno inualido iam ductore, plures hostes accerseret, omnes viuida iuuenta? quid alij pauci exilio, ense, veneno, precipitio, sanguine laudati? quid enim hi ad virginum nostrarum animos ad calcatas prunas, ad epotũ plumbum, ad ęra candentia, ad ardentes fornaces, ad ora leonum, ad mamillarum sectiones & inardentes lateribus tedas, ad lentum ignem, candentes laminas? quid sex

ant

aut decem è media gentilitate, ad millia è nostris? quid viri bello edocti, per aspera & dura, per vulnera & sanguinem, ad lacteam iuuentutem, quę vix ingressa alteram ętatem puerili maiorem audet supra viros, supra omnem bellicam virtutem & gloriam? nimirum altè insederat animo tribunal Domini iustum, & in neutram partem à vero deflectendum.

In tueamur dehinc agmina vltroneo exilio nobilitata, sole torrida, aqua & paucis dactylis pasta, adeoque ieiuniis propè enecta, insomniis exanguia, exasperata ciliciis, verberibus lacera, quæ vna hęc dies ad extrema euocâs tribunalia, suasit patria relicta, solitudines & ferarum antra incolere. Suasit Paullo teste circumire *in melotis, in pellibus caprinis, egentes*, angustiatos, afflictos, *in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis & cauernis terræ.* Heb. 11.

Et

Et nos è plumeo thoro, è deliciis & luſu, è medio voluptatum, honorum, opum, tribunalia hęc audentes ſpectabimus? illi poſt hęc omnia non ſunt ſine metu, & nos quid ſperamus, aut inani nos ipſos fiducia ludimus? aude anime. nec pigeat imitari à quibus pudeat vinci. inſonet auribus tribunalia, & vox Iudicis, modicæ lacrymæ, opum, honorum, voluptatum contemptus, ſecurum te ſiſtent Domino, Regi, Iudici, in die reddendę rationis, *die iræ*, & *retributionis*, die *furoris*, cui *procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.*

Epiſt. Iudæ.

CAPVT XIV.

IVDICIVM EXTREMVM.

Cuius horrorem, Solis, Lunæ, ſiderumq; defectu prænotatum hic habes. vt timore magiſtro, corpori frænos iniicias dum vtuit. doceas parēre ancillam, ſeruam, mancipium: ne in die illo Domini magni

audiat

audiat extremam vocem maledictionibus & æternis ignibus gravidam. ne adsocietur dæmonibus nulla tormentorum acerbitate satiandis: ne exulet æternùm cœlo cui nata, gloriâ cui empta. Stolidi, quos illa vox terroris, minarum, flammarumque plena non trahit ad saniora, non auocat à deterioribus, non terret à scelere, non ducit ad virtutis semitam. qua vna securum te statuet in illo die, orbe spectatore, cœlo præmiatore, inferna vindice, Deo iudice, cui nihil relusum, nihil impunitum.

HOrror & stupor vbi estis? vbi lacrymæ & complorationes? vbi planctus & eiulationes? Dolor meus, dolor struthionum; lamenta mea, lamenta tigrium raptis catulis; lamenta matrum, disruptis ab vberibus aut vtero carnifica manu natis. Quis validus, & non iam prodigus aquarum, sed sanguinis, tanquam dissectis qua-

qua venis, sanguineos non deno-
met torrentes? quis potens, cuius
non emarcuit virtus, emedullatis
etiam pristini vigoris ossibus? quis
nervis & succo plenus, tanquam à
fornace media non exaruit exsuc-
cidus totus? quis fortis & non suc-
cidet genibus? quis robustus & non
delinquet animo? tanquam cera
mediis ignibus, & medio æstivo ni-
ves sole, aut stipula ignibus deco-
cta, ita omnis anima viri potentis
Soph. 1. v. 15. in die Domini magno. *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super civitates munitas, & super anguilos excelsos. Et tribulabo, ait, homines, & vlulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt, & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora. Propter hoc omnes*
Isa. 13. *manus dissoluentur, & omne cor hominis contabescet & conteretur. torsiones & dolores tenebunt, quasi parturiens*

turiens dolebunt. vnusquisq; ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum. dies crudelis & indignationis plenus, & iræ & furoris, dies rugitus & horroris, dies vindictæ & retributionis, dies vltionis & iudicij, dies fremitus & indignationis, dies pœnarum & flammarum ignis æterni. *dies in qua iudicabit Dominus occulta hominum,* cùm patebunt abscondita cordium, & abdita mentium reuelabuntur, orbe toto inspectore, diribitore Deo, hinc superborum corda tumentia, inde libidinosorum voluptate natantia; alibi inuidentium inæstuanti odio corrosa, aut auaritia exesa, aut nunquam explenda diuitiarū siti æstuantia, perpetuaque dignitatum & honorum scabie & pruriditie vexata.

Et sanè perfacile est dum viuimus, inimicum omnem amicumve mentito vultu & ore ludere, fronte & verbo fallere. & quis non

aut amorem & obedientiam dum vult mentiatur, aut odium tegat, aut pietatem ostentet probitatis æmulus? aut virtutem moribus præferat, doctus etiam prudentes circumuenire? at reteget illa dies altè defossa mentibus, recludetque tot obserata seris, eo graviore vulnere quo profundiùs concredita: eo maiore verecundia, quo fallaciùs sanctimoniæ specie fefellit plures: eo maiore dolore, quo maiore antè consilio condita pectoribus in fallaciam, & æstimatæ integritatis decipulam. Quanto securiùs certiusque dum viuunt committunt animis, nec erubescenda, nec pœnitenda aliquando, quicunque seriò diem illum meditantur, certò nihil dimitti ac submergi in illud altum pectoris, quod non supernaret in die illo magno. Et quis prudens tegit maiore rubore publicanda? quis simulat non multo post ingenti verecundia vulganda? quis morbum premit exitio silentio suo futu-

futurum? etiam erubescenda medica tangit manus, nec quidquam tam reconditum quod valetudinis amor, aut doloris magnitudo, aut medelæ spes non retegat in salutem. & nos interim quanta pectore premimus, infami in illâ die discussione ventilanda? quanta immemores futurorum in recessu abditarum cogitationum cõmitimus animo, orbe inspectore publicanda? cùm de facili possimus aut non admittere serò pœnitẽda, aut eluere seriùs diluenda.

Non multę lacrymę de cordis intimo salientes quid non possunt dum vita manet? quid non suspiria meliore voto & igne calentia, & inter confragosos singultus tanquam à valido vento excussa factorum pœnitudo? At in illo die Domini, non si flumina & maria fundant oculi, noxam vel vnam diluent. non si saxeas rupeasque pœnitudines deuomant pectora; non si omni Ætna æstuantiora iaculen-

tur vota. audiamus Dominum: *Non transeam, nec parcam, nec placabor: iuxta vias tuas & iuxta adinuentiones tuas iudicabore.* audiamus Malachiam: *Ecce dies veniet succensa quasi caminus: & erunt omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, quæ non relinquet in eis radicem & germen.* Ostulti! viuimus tanquam impune laturi meditata scelera, quia innocua manu: cùm germina, & radices scelerum, quæ tanquam in abdito terrarum mentibus recluſa noſtris ſunt, egerminaturum ſe ac eradicaturum interminetur Dominus, viuimus tanquã ſoli teſtes factorum cogitationumque noſtrarum, tanquam ſoli conſcij meditatorum facinorum. viuimus vt increduli Dei vt prouidentiæ illius ignari, vt ſcientię illius refragatores. nam quis ſciens volenſque coram iudice peccat? quis in oculis Regis, vitæque ac necis domini, morte patrat lu-

Ezec. 24.

Malac. 4.

enda

enda? quis sub lictore constitutus sub ense, securi, fune, scelera meditatur? quis euulgationis conscius & sequuturę iam iam mortis sanguine committit pianda? aut qui non crimina sperat tegenda? sin sciat retegenda, quis non manum retrahit, si mors sequutura, si tormenta & ignes, si laqueus & ferrum? & nos in oculis magni illius Iudicis, Domini, & Regis, omnia contuentis, etiam abditissima, & seruata centum clauibus, quàm soluto metu peccata peccatis cumulamus? ac de vno in aliud transcendimus, tanquam priora via sint & strata semita ad secunda.

Et tamen in illa die omnium oculis subiicientur reconditissima etiam cogitationum nostrarum. & quæ soli propè erubuimus spectabit orbis, superiores, subditi, æquales, amici, hostes. Quæ tunc erunt cogitationes nostræ? nollem factum; nollem cogitatum.

sperabam æterno premenda silentio. non memineram oculi huius magni intima perscrutantis. non putabam enulganda. ô fatui! quousque hęc, infelici luenda fine, ac erubescendo pianda exitu? melioribus dum tempus est, mentem pascamus, illiąue nunc comittamus, quæ nec erubescat nec culpet sera pœnitentia.

Quod vt certiùs intelligas, intuere diem illum propiùs, elementorum collisionibus prænotatum. prænuntius horror testis est futuri. *In igne veniet Dominus, & quasi turbo quadriga eius: reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus iudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem.* quin *turbo Dominifuror egrediens, procella ruens in capite impiorum. Thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accensus, fluuius igneus rapiduśque à facie eius.* intuere deinde omne ab orbe condito humanum genus. Vide

Isa. 66.
Iere. 30.
Dan. 7.

Regi-

Regibus immistos egentes, seruos dominis, subditos superioribus, nullo tiaræ aut sceptri, diadematis, purpuræ, aut pauperis sagi discrimine. voluuntur vt areneæ, miscenturque vt aquarum stillicidia, nulla dignitatis prærogatiua.

Dum viuimus, comœdiarum ac tragœdiarum harum personas sustinuimus; digniores, indignioresque expleuimus. cortina reducta, remota scena, redimus ad vetera, cinerem & arenam, & animam parem. & denuntiatum antè. *Non subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. fortioribus autem fortior instat cruciatio.* atque hinc additum. *Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt fiet. exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Sap. 6.

Vide deinde in hac paritate sor-

tem imparem proborum, improborum. hinc patrem rapi ad supplicia, inde natum ad gaudia, ibi matrem ad tormenta, filiam ad præmia. alibi Regem & dominum & iudicem ad ignes; reum, & seruum & mancipium ad regna, & cælorum diademata. Quis in hac secretione, æmulaúqe bonorum ac malorum retributione, rugitus exprimat & eiulatus? Iam cùm viderit patres, matresque, dominos, sernos, socios, amicos, inimicos, æmulos, vno rapi interitu, maledictis mutuo suppliciorum causas improperantes; & in tanta multitudine tam varium murmur, tantas tamque acerbas vltimarum desperationum voces, dentium stridores, ora spumantia, liuidas candentesque genas, membrorum omnium sæuas colliſiones, execrationes, imprecationes, blasphemationes, quid dices? quid quando demonum agmina insultantia? improperantia? accusantia? minitâtia?

nec

nec segniores comminationibus manus? aut cum angelorum & beatorum agmina exemplo suo accusantia & damnantia? quid vbi iudicis antè contempti, ac spontaneo neglectu ignorati, vultum oculosque in solam vindictam truces? vbi vocem, in damnationem omnium quæ vnquam fuerunt seueriſsimam? vbi inter clamores & eiulatus, triſtesque tot millium dissonos planctus, vnam vocem, tonitru, fragore, terræmotu omni terribiliorem: *Ite maledicti in ignem æternum?* Matt. 25.

Quid facit hic homo? aut quis illi animus in hoc terrore, cùm intonabit in ira furoris sui *validus* Isa. 28. *& fortis Dominus, ſicut impetus grandinis, turbo confringens ſicut impetus aquarum multarum inundantium & emiſſarum ſuper terram ſpatioſam?* vnde cælum & terra, elementa & sidera contremiscunt, montes & siluæ, flumina & maria, concussa, ingenti trepitant pauore,

sedes vacuatura si locus detur: prata & arbores, herbæ, flores, vineta ingloria, posito languent virore, adeoque emedullata serpunt humi tanquam ab ardente fulmine ambusta: omnia denique, licet innoxia, & nullo scelere suo contaminata, sursum deorsumque, quasi propriis conuulsa sedibus, interitum spectant, vltimumque exitium sui: & homo quò se vertet peccati conscius, imminentisque prometiti prescius ignis æterni? trepidant & tantùm nõ colliquescunt rupes, & cœli tanquam ære fusi; & stabit homo reus? *Stellæ cœli & splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo.* Isa. 13. cùm ergo sidera spoliata luce, terrorem, horroremque testentur nocte sua, & stabit homo criminis & interitus sui conscius? non stat hęc ingens machina tot sæculis solidata, tot ætatum firmata basibus, innocuo licet crimine, & stabit tot scele-

scelerum homo reus? inter inexplebiles carnificum manus, inter nullo æuo morituros ignes stabit homo reus? *Introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cùm surrexerit percutere terram.* Isa. 2. cùm *in igne zeli eius deuorabitur omnis terra, & consummationẽ cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.* Sopho. 1. atque hinc clamor ille tanquam feralis buccinæ: *Montes cadite super nos, & colles operite nos* ab ira diei huius, diei vindictæ & lamentationes, ignis & pœnarum. at nulli montes fugient oculos, nullę valles iudicis claudent periméntve vocem, non iam vtantè interminatricem, sed adiudicatricem ignis æterni. Luc. 23.

Quòd si curiosiùs in ipsum iudicem oculos defixeris, quid videbis, extra illud os vocemque tremendam, pręter tot damnationis capita quot vulnera? nam quid sunt illa quinque, nisi rupea quæ-

dam saxa flammarum, damnandi æternitatem dementia? quid nisi singula beneficiorum multitudinem testantia, magnitudinem commemorantia, ingratitudinem accusantia, improbitatem redarguentia? quid sunt, nisi singula fulmina perduellium medullas exedentia? & stabunt pedes, nec subducet se terra reo? & quid sunt vulnera, nisi venenaria tela, aut letales hastæ toxico lotæ animæ peccanti? quid nisi horror & fragor, & iaculatæ rupes miserandæ æternitatis? quid sanguis nisi spicula infelicis æui? quid guttæ singulæ, nisi singulæ voragines sulphuris & picis? misera vicissitudo, vt quod fuit in medelam, sit in interitum; quod fuit in vitam, sit in mortem; quod in salutem, sit in damnationem; quod in triumphum, sit in seruitutem & catenas; quod in coronam, sit in pœnam; quod in gaudium, sit in mœrorem; quod in beatam præmiationem, sit in ignē, & ignem æternum.

Quæ-

Quousque breuibus mercamur æterna? quousque momentaneis deliciis, voluptatibus, honoribus, auro, ignem, tormenta, contemptum, indigentiamq; etiam aqueârum guttarum paramus æternam? quousque in perituris amplectimur æterna infelici demutatione, immemores diei huius, diei angustiarum & timoris, pressuræ & anxietatis, cùm insonabit sepulcralis illa buccina: *Surgite mortui, venite ad iudicium*; horroris & stuporis, ipsisq; elementis formidanda tuba, terra intremente, cœlo lugente, sideribus stupentibus, orbe toto sedibus concusso? Flebilis illa dies, *cùm omnes manus dissoluentur, & omnia genua fluent aquis.* Ezech. 7 Dies lacrymarum & vlulatuum, & confusionis magnæ: cùm ex omni orbis plaga, in quocumque loco mors rapuit, sęcula texerunt, maria sorbuerunt, terra depressit, surget in iudicium æternitatis homo reus criminis sui, celati an proditi, in recessu pectoris an

opere

operè completi conscius, desperata salute, vltimoque exitio sui pauidus & horrore plenus, certus de pœna, deque nullo fine morituris ignibus, dum tormenta tormentis infelici fœcunditate innascuntur.

2. Cor. 5 *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum, siue malum.*

Erigere anime. & dum dies permittunt, dum pœnitentiæ locus, dum fletibus patet via, corrigamus vetera; deliciis, honoribus, voluptatibus, opibus spretis, amplectamur ea quæ nos metu liberant futurorum, quæque pro modico illorum neglectu, cœlestia spondent, delicias, honores, opes, voluptates nullo finiendas die, nullo minuendas, nullo possessorem suum frustraturas, nullo mentito vultu in fraudem pellecturas. viuent illa, & æternùm viuent, æternaque cultorem suum beatitate donabunt, verissimis deliciis æternis, solidissimis

mis honoribus æternis, sinceriſsimis voluptatibus æternis, certiſsimis opibus æternis: quas nec naufragia ſorbebunt, non hoſtes eripient, non inualetudo franget, nec diminuet ætas.

Et quantula res eſt perituris renunciare vt æterna poſsideas? quãta, momentanea hęc negligere vt æterna conſequaris? quanta, brevibus his exui, vt æternis induaris? Et quis nollet anno vno carere voluptatibus, deliciis, honoribus, opibus, vt iiſdem annis frui poſſet centum? quanto proinde prudentiores ſunt, qui dum vita hac viuẽt, exuunt ſe illis voluntaria ſpoliatione, vt æternùm fruantur innumeris modis maioribus, certioribus, nobilioribus, felicioribus? Nam quanta eſt hęc vita ſi æternæ compares? non annus, non dies, non hora; adeoque vix momenti meretur nomen. & non *vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus?* Quam 2. Pet. 3.

ſatui

fatui proinde qui his breuibus breuem vitam erogant, qui vt momentaneis hiſce mentem expleant, ſpoliant ſe maioribus in omnia ſecula perennaturis / qui pro his ludicris dominumque fallentibus, pro fugitiuis poſſeſſoremque ſuum non multò pòſt deſerentibus, corpus animamque æternis ſubiiciunt ignibus! O ſtolidi! vbi mens & cor hominis? momentaneas delicias, voluptates, honores, opes, æternis præponere, ſecuriſsimis, ſolidiſsimis, nec vllo poſſeſſorem ſuum quo deſtituentibus.

Et quid ſunt temporis huius deliciæ proritamenta gulæ, quid profugæ & communes beſtiis voluptates, publicum vitantes, & conſpectum etiam amiciſsimorum, pœnitudine & erubeſcentia ſectatorem ſuum flagellantes? quid honorum & dignitatum incerta, quid opum in tam varia fortuna poſſeſsio dubia, & morte paullo pòſt deſerenda; ſi cum æternis, cœleſtibus diuiniſsi-

nissimis componamus? nullus hic rubor, nullum secretum pudori quæritur, nullus oculus testis formidatur, nulla incerta aut dubia, aut à quocunque hoste aut casu periclitatura. Semel possessa æternùm possidentur, semel adiudicata æternùm adhærent.

His ergo dum licet consequendis serió adlaboremus. non magno molimine æterna comparabimus, si momentaneis illis contemptis, totos nos breui hoc tempore æternarum studio dederimus, his incubuerimus, certi de præmio, certi de gloria, & gloria æterna. miramur ridemusq; mente captos, puerosque auro & gemmis, nuces, pomorumque frusta præligentes. miramur breuẽ palati gustum momentaneaque oblectamenta, duraturis anteponentes. at quanto nos liberiore digni cachinno meritò videbimur, qui peritura cœlestibus, & in omne ævum perennaturis, fatuo delectu præponimus?

procul

procul hęc deliria diminuti capitis. nimio isthęc fatuitas emitur, insanire cum fatuis & pueris liceat: cùm peritura perituris componuntur. at vbi momentanea hęc cum æternis in certamen veniunt, & prolabentibus ac interituris perpetuatura reponuntur; exuenda stultitia est. nimis enim caro emitur quod emendari non potest. ludis, & ab vno aliquando alex iactu regna pendent & prouinciæ, aut ingentia priuatorum patrimonia; & fatum audis, quid audies cùm in vno delectu, tanquam alex iactu peritura cum æternis mutas? in illo ludo qui perdidit, meliore fortuna reparare damna potest; adeoq; duplici fœnore resarcire infortunatum priorem iactum: at in hoc æternitatis ludo, nec deliberationibus, nec iteratis felicioribus votis locus est. semel iacta alea est? æterna est. semel delegisti? æternum est. semel sententia lata est? æterna est.

Et quantulę rogo res sunt, ob quas

in discrimen adducimur ferendæ sententiæ ignis æterni? opes, honores, voluptates quid sunt, si cum infelicibus inferorum tormentis componantur? confer temporaria hæc perennaturis, peritura æternis. confer orbis qua patet, opes, honores, voluptates cum cælestibus, magnitudine, duratione. finita in illis omnia, & ingentibus permista sollicitudinibus, rubore, pœnitentia; cùm cælestia interminata sint, nullo pretio metienda, nulla cura, pœnitudine, erubescentia possessorem suum percussura; nullo ingenio, calamis, terminis circumscribenda. Cogita quidquid aliquando magnũ, maiora reperies: extende, si potes, vota ad omnium ingeniorum conatum, maiora videbis: adde quidquid inexplebiles omnium quotquot vnquam auarorum manus, quidquid vsquam animi fastu turgentium, quidquid per vbique vouerunt pectora voluptatibus ebria; nec vmbram quidem

dem consequutus fueris futuri cor-
poris. adeo cœlestium opes, ho-
nores, voluptates, quidquid est ui
huius vincunt, vt nec in compara-
tionem quidem venire possint, sine
magnitudinis suę nota cum his pe-
rituris. & digna hęc videbuntur
nobis propter quę infelicem subea-
mus aleam letalis sententię, à qua
pendet æterna?

Hęc cogita, nec facilè descendet
ad fatuum hunc delectum: saniora
enim æternatura docebunt; & ad
meliora te perennatura trahent. si
tamen ita te totum vitæ huius opes,
honores, voluptates dementarunt,
adeoque infra omnes fatuos pue-
rosque statuerunt, vt nulla te mo-
neat aut spes præmiorum, aut glo-
riæ æternæ, non Deus ipse; moueat
te feralis diei illius horror & stu-
por, cùm ipsa orbis machina tan-
tùm non sedibus suis euellenda,
ipsa nocte tremoreque suo sidera,
cœlique nimis testata faciant, quid
nunc cogitandum super die illo,
die

die fletuum & suspiriorum, die ti-
moris & lamentationum, die rugi-
tus & collisionum, die execratio-
nis & vltimarum blasphemiarum,
nullis lacrymis, votis, precibus,
pœnitudine reparando. audiamus
monentem Petrum: *Adueniet dies* 2. Petr. 3.
*Domini vt fur: in quo cœli magno im-
petu transient, elementa verò calore
soluentur, terra autem & quæ in ipsa
sunt opera, exurentur. Cùm igitur
hæc omnia dissoluenda sint, quales o-
portet nos esse in sanctis conuersatio-
nibus & pietatibus, expectantes &
properantes in aduentum diei Domi-
ni, per quem cœli ardentes soluentur,
& elementa, ignis ardore tabescent:
propter quod charissimi hæc exspe-
ctantes satagite immaculati &
inuiolati ei inueniri
in pace.*

CAPVT

CAPVT XV.

INFERNVS. *A cuius ignibus nocat te hoc caput. dum infelicem ostentat animas, quæ nequidquam mediis ingemiscunt fornacibus, sera, ô nimiùm! poenitudine. vbi vortor ignis nullo sauitiam ponit æuo. vbi poenarum socij augẽt tormenta. vbi carnificum manus nulla lassatur poena, immanitas crescente sæuitia æternat: maximè dum occurrit illud seræ poenitentiæ, Potui non vri æternùm. non pascere flammas æternas, non ignibus cruciari æternis. potui cœlos gaudiis, Deo frui æternùm. Debui exemplo pauperis requiescentis, & nequidquam ad aquæ guttam ingemiscentis diuitis; meliora, tutiora, saniora sequi. neglexi. tam paruo æterna parari! At potes non magno infelicem æternitatem effugere. tantùm audi hic monentem, & triste Æternum imprime mẽti; fugiẽ*

sitque magistra tibi morum, vitæ regula, Æternitas. *insonetque assiduè auribus; Tam leui paruoque* Æterna? *tam fugacibus fugientibusque* Æterna? *sæua, ô nimiùm* Æternitas!

DILATAVIT *iufernus animam suam, & aperuit os suum absq; vllo termino, & descendent fortes eius, & populus eius & sublimes gloriosique eius ad eum* in *profundum laci.* dura sors, & acerba nimis! quis amet eam, cùm audierit inclamantem: *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsq; ad inferni nouissima. deuorabitq; terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* Huncignem qui amat, amet vitia. ardere qui æternùm cupit, sequatur vitia. ô fatui! peritura ac momentanea commutare æternis? pro leui voluptate, in qua delectationis minimum, sordium & ruboris plurimum, æternos ignes accersere? pro modico auro, & nunquam domi-

Isa. 5.

Deut. 23

num sedaturo, ignes aduocare æternos? pro peritura vindicta, & sæpe vindicem suum, domumque totam vna ruina sepultura, nunquam morituros vindices in se sæculorum ignes prouocare? pro fugientibus dignitatibus, nunquam saturantibus, plurimorumque inuidia grauidis, interque tot millia æmulationum odiorumque natantibus, nullis intermoritura ætatibus tormenta parare? audi interminantem Dominum: *Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descendunt.* Iob. 21. vbi luctus & dentium stridor & ignis, & *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Iob. 10.

Quòd si tamen pergis, & amas super hæc vitia: aut plus apud te potest horum amor quàm illorum terror. proba te ignibus. hos si tuleris siccis oculis, constante vultu, aggredere honores. si fers amico sensu, vt dicere possis in illorum medio, Benè mihi est, & habeor bene; amplectere voluptates. iniice for-

nacibus

nacibus dexteram, si perstas illæsus, aut erecta mente fers vstulantes ignes, aude prolectantem sequi cupiditatem. si lambentes lateraque radentes placent flammæ, si tibi tormenta ludus, si de pluma puluillus ignes sunt; innectere libidinibus, quæ te ducunt via trita, certa, ad illos. repeto. desiderium peccandi te trahit, rapitque? antequam expleas hanc famem, antequam importuno te huic tradas interpellatori, ignibus membrum committe quod pellicit. lingua trahit, palatum prouocat? innecte cum Epulone ignibus, & vide an euangelico illo animosior, non descensurus sis ad Abrahæ sinum, nouumque Lazarum, digitum nouum rore nouo refocillaturum. manus trahunt? immitte foculo; & intuere intrepidas manus ignes suos pascentes. aliud te prouocat membrū? candentibus iniice prunis, & experire nū in mediis ignibus, medio confixus veru, craticulę impositus, vngulis in terga

sæuientibus, par sis sæuienti flam
sin perstet tamẽ importuna caro vr
gere, vrge ignes, tantoq; magis quã
to læuit illa magis: quòd si inter hęc
torméta stat importuna illectrix, ex
ple. nihil veto. sin contrà, momẽta
neus hic ignis, & picto similis, vt pri
mùm irretitũ te ardoribus & flam
tenuerit, exuit omnẽ delicti memo
riã, excutitq;, tanquam imissoOce
no, omnẽ illicitæ cupiditatis æstum;
quid faciet ignis æternus, qui nun
quam positurus est iras, minas, tor
menta, influant licet omnia maria
niues omnes, glacies omnes: quin
magis his accenditur, vt credas ami
ca fomenta, & augendo substructa
crescitque crescentibus annis: cuius
momentum annus est, annus mil
lia sunt. ô fatui! æterna mercari
tormenta, flammas, inæstuantes ig
nes, sæuumque vrentes, lancinan
tes, omniq; cogitatione crudelius
pro his breuibus, tam citò perituris
tam inopinatò dominum ludenti
bus, fallentibus, ac non in medio

mod

modò, sed vix in inchoato cursu vt plurimum destituentibus. ô vani! momentanea hęc oblectamenta in aternaturas pœnas vertere?

Audi in Babylonio nomine seueras verasq; omnium potentium interminationes, nimiumque veridicas dennnciationes: *Merces auri & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpurę, & serici, & cocci (& omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso, & æramento, & ferro, & marmore, & cinnamomum) & odoramentorum, & vnguenti, & thuris, & vini, & olei, & similæ, & tritici, & iumentorum, & ouium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum. Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te, & pinguia & præclara perierunt à te, & amplius iam illa non inuenient. mercatores hominum qui diuites facti sunt ab ea, longè stabunt propter timorem tormentorum eius, flentes ac lugentes, & dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna,* Apoc. 18

quæ amicta erat byſſo & purpura, & cocco, & deaurata erat auro & lapide pretioſo & margaritis, quoniam vna hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ, & omnis gubernator, & omnis qui in loco cum nauigat, & nautæ, & qui in mari operantur longè ſteterunt, & clamauerunt videntes locum incendij eius, dicentes Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ? & miſerunt puluerem ſuper capita ſua, & clamauerunt flentes & lugentes, & dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes qui habebant naues in mari de pretiis eius, quoniam vna hora deſolata eſt. Hæc vnicuiq; è potentibus denunciata. quorum tormenta & ignes intuere propius, ac inter hæc æternatura tormenta, inter hoſtiles riſus & blaſphemationes, ſulphuris & plumbi, picis & æris miſta liquamina, pedoris & horroris innexum conſenſum, candentium metallorũ amplexus, ſexcentorũq; cruciatuũ genera, pro tam leuibus fugitiuis momentaneis vanis.

Intuere

Intuere exinde iacentem, ibi a-
narum, auidas pœnarum flammas
nunquam satis misero corpore sa-
tiantem, nunquam per tot tormen-
ta carnificum sæuitiam explentem:
hic superbum ignium & sulphuris
vile pabulum, dæmonum protri-
mentum, & infelici præcipitio fœ-
dissimę voraginis miserandum: ibi
voluptatibus aliquando indulgen-
tem, fornacibus nunc candentibus
permistum, omnes denique æterni
ignis ęternam materiã, perennatu-
rarum flammarũ nutritia perenna-
tura germina, nunquam intermo-
riturarum pœnarum non morituras
accessiones. Vide cum Epulone
supplices, nec exaudiri. vide de pe-
netrali pectore ardentia vota, aquę
gutta sitim leuari, æstum restingui
desiderantia, nec consequi, extre-
moque digito rore madenti refici,
& negari. inter blasphemas in Deũ
cælitesq; eructationes, inter vltimos
desperationis vomitus, inter sacri-
legas omnium quidquid vbiq; est,

Dei, parentum, filiorum, coniugum, fratrum, sororum, sociorum, amicorum, rerumq; adeò omnium execrationes, exedentibus, laniantibus, inæstuantibus vndique flammis, intimaq; præcordia depascentibus; quæ licet arrodantur ignibus, nunquam absumuntur, inerrant visceribus mille tormenta, nouis veteribus succedẽtibus, nec deest tormentis aut vstioni materia. quin & pascuntur ignibus ignes, tormentaque tormentis innascuntur infelici æternaturo partu. Et vnum corpus, tam mollis caro, tam labilis sanguis æternam ignibus sufficit materiam.

Poterat hęc, caro non magno redimere, poterat leuibus pœnis auertere, poterat minimo æternaturas excutere, poterat non difficili fuga effugere hos ignes. Nunc ingemiscit serò, & non-profuturæ fluunt lacrymę, cadunt irrita vota supplicis dexteræ. miserationi hic locus nullus est, iustitiæ & pœnarum est.

iacule-

jaculemur proinde dum tempus est & venia locus, calentia melioribus ignibus vota. fluant oculi. modicę lacrymę tanquam superfuso Oceano flammas extinguent æternas. lugeamus scelera. modicus dolor dolorem pellet æternum. subtrahamus carni incentiua libidinū, modica fuga castam mentem dabit. subtrahamus inuerecundis his carnis ignibus materiam, ne materiam æternis ignibus subministret. exulent delicię, & gulam irritantia condimenta, ne nos cum infelici Epulone excrucient æternùm. modicę vltroneæ pœnæ, dolores, lacrymę, tanquam à valido vento, minitantes infernorum igneos imbres leui negotio dispellent, & exsiccabunt oculorū flumina æterna felici gaudiali spongia. ite ergo nunc lacrymę, fluite irrigno profuturo cursu. his namq; benignitas irrorata Dei, tanquam fœcundus ager fructum dabit æternaturum. his miserationis pascua imbricata, centuplo bea-

bunt imbricatorem ſuum. patent nunc ſorbendis his paſcua imbribus. patet his torrentibus agen nullo pòſt flumine, ac ne Oceano quidem madidandus. & quantula res eſt, vltroneas erogaſſe pœnas, lacrimas? quantula, pulſis vitiis, virtuti vltro appetenti, oſtia reſeraſſe? nam & calcata ſemel virtutis via ſuauis eſt. vbi enim primos tranſilieris calles, qui plus terroris oſtentant quam habent, plana via eſt, addo, deliciis plena.

Eia ergo anime, quid times? momentaneæ lacrimę ſunt, luctus, pœneque quibus ęterna redimis. quam feliciter illę fluunt, quibus ignis extinguitur ęternus? quam prudenter refrænatur caro, ne ſe & animam ſimul perdat? imo, quam ſapienter odio habetur caro, frangiturque illius ardor, meliore æſtu amoris & timoris Dei, ne ęternum ardeat ſtolidè hic amata caro ne ama. ne parce. quantoſenim plus conceſſeris, tanto plus pœnarum

accum-

accumulabis. ne blandire. quanto namque plus blanditus fueris, plus ignium substruxeris.

Dura commutatio! temporarij in æternum. dura æternitas! tam paruo parata: misera! tam breui temporis mercede parta. tam leuis & volatici gaudij pœna æterna: tam fugitiui gaudij mœror æternus, tam vanæ felicitatis & oblectationis tormenta æterna, tam fœdæ voluptaris & momento periturę ignis æternus. Dura æternitas! in qua vel momentum negatur quietis: in qua dolori dolor inambulat, pluraque succrescunt infelici fœcunditate pœnarū genera, tanquam æterno miserando nixu. Dura æternitas! in qua vel extremis digitis, stillicidium aquæ volutantibus in æternaturis ignibus, denegatur. Dura æternitas! in qua tormentum tormento ad nascitur inter misereri nescias carnifi um manus, quarum nulla pœnarum incrementa sæuitiam expleant

expleant, nulla mitiget temporis longinquitas. crescit crescentibus annis, sęuus animus, sęuior manus.

O nunquam pœnarum flammarumque finis! commensurari æternitati flamas! commensurari æternitati felici, adeoque commensurari Deo; vt quamdiu hic, tamdiu illę? Dura æternitas! quanto satius fuisset hic ardere flammis, viscera igne depopulante, excarnificari vngulis, lacerari flagris, & per singula membra nouis sæuire pœnis, omnibusque quos ingeniosissima quęque crudelitas fingere potuisset ad explendum odium, quàm pro tam fugitiuis, tamque citò dominum destituentibus, ignibus adiudicari æternis? ô fatui! quousque ludimus in æternitate? quousq; tanquam stolidissimo tesserario iactu æternaturis caput obiicimus tormentis? ô vbi mens! quanto prudentius spelucas, rupiumque abdita, & silvarum vltima insederunt Sancti, domuerunt carnem, restinxerunt ardo-

ardorem, calcarunt æstum, riserunt honores, auersati delicias, ne æternùm sęuiret pœna, néve æternùm luerent tam breui pœnitenda. O vbi cerebrum! certi de morte, incerti de hora; certi de tormentis, incerti an ęternùm adiudicandi, vinimus tanquam non morituri, non adiudicandi: & ab infelici momẽto, ab auri aceruo, honorum vanitate, voluptatis momentanea spurcitia, pendent æternatura.

An fòrs speramus mitiora inani fiducia? *Si Angelis peccantibus non pepercit* Dominus, *sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, & originali mundo non pepercit*, qua vacua confidentia maioribus pluribusque irretitus criminibus meliora speras? accusabis fortè carnem, seruam domina? at cui æquum fuit parêre, cui imperare? illã tibi, an te illi? non satius vtramque saluam licet renidente carne, reluctante sensu, quàm vtramque damnari ridente vultu, vtramque 2. Pet. 2.

ignibus ad iudicari non morituris, ne modica pœna tæuiretur in carnem? nam quid illa dictura est in tormentis constituta, aut quid tu responsurus cõquerenti de pœnis? an te sequutum mollitiem eius, pronumque illius in honores, delicias, voluptates, opes affectum? nec voluisse subtrahere malorum irritamenta ne mœreret caro? cui imperium tradiderat vtriusque conditor, aut quam cui commiserat? carnem animæ, an animam carni? & quid peteret caro nisi placentia sibi futurorum ignara? quid peteret peritura caro, nisi peritura secum? aut quo protenderet cogitationes ignara omninm quę supra carnem? ratione docenda, frenanda, corrigenda fuerat. à momentaneis, ab his stolidis quibus paratur infelix æternitas, ad cælestia & diuina deducenda. Quare quidquid hic peccatum, animæ fuit. caro quid potuit? edomanda erat ne & se & animam impelleret in nulla pœnitu-

dine

dine leuandam perniciem, nulla mitigandam, ne & te & animā de-turbaret in infelicissimum illud alterius sæculi præcipitium, vbi ęternùm sæuitur, commiseratione nulla, decremento nullo; auctu perpetuo, nouis incrementis, funestisque vicissitudinibus grauiùs etiam sæuientibus.

Erige te anime, exere concessas cælo vires. frange hanc carnem belluam, nec quidquam vltra bestias sentientem. dolebit? modicus dolor ęterna parabit gaudia. flebit? beatę lacrimę quibus æternus extinguitur ignis. indignabitur? pòst gratias aget. exurget in iras? ne cede. frange ratione, minis, verbere. flaccescet? etiam moriatur. ne in æternam & se & te trahat mortem. succident genua, & languor occupabit artus? felix enervatio, qua conculcata caro pedibus parêre discat, imperare dediscat, & desuescat. quid si in hac lucta etiam anima sua destituatur? næ illa

feli-

felicissima & beatissima, socia futura vt victoriæ, sic palmæ & triumphi, quæ fuerat hostis, & improuida cupiditate sua, se, & animam trahebat in socias pœnas æternitate commensurandas.

Sed durum est hic pati; durius æternùm. graue negare amica carni, grauiùs æternùm inimica pati. Verùm quis hostis sæuit in seipsum? prudens sęuitia est, quę ab æterna nos eripit. & tu illum amare credis, qui momento placitura concedit vt torqueat æternùm? at quę crudelitas sæuire in mollem carnem? benignitas est hic sęuire ne vratur æternum. etiam medicus vstulatione & sectione sęuit in membrum, vt reliquo corpori bene sit. Non agrestis animus est, qui in tam blandam, tam amicam sibi sęuit carnem? nemo parens filium lacerat. propior etiam caro est, imò non ille inhumanus & efferus, omniquea deò crudelior tigride ac leæna est, qui vt blandientem carnem deliciis

farciat

farciat perituris, æternis destituit cruciatibus? sed & ille verè parens est qui secat in filio nocitura, qui non parcit ferro vt eruat malignè responsura, qui virginem in illo adhuc terram vomere subigit & rastris, vt fructus referat speratos; quique igne etiam noxia excaudicat. ille enim amat, qui à prima ætate, per dura & aspera, & lacrymis non semel madidata, suspiriis calcata, ducit ad virtutum amœna, æternùm oblectantia: qui si quid tortuosum, si quid deuium, verbere, vinculis, ignibus etiam adiuuat, ille verò insano amat amore, non & odit? qui permittit nocitura, qui præcipitio proximum non retrahit etiam nolentem, qui insana crapula ruentem in venenaria, non subtrahit toxicum: qui ne sentiat lacrymas, ne infantiæ ploratus, ad praua surgenti stolido blanditur vultu. Et quis amet basia, complexus, pocula veneno tincta? quis suauem spongiam nouacula fartam? quis purpureum

torum

torum ignibus instratum? quis eō lubri attactum mollem? quis blandientem amplexu viperam? at omni vipera nocentior fœmina est, omni colubro virulentior quęcunque libido est, omni noxacula, ignibus omnibus crudeliùs ferociunt sub mentita purpura, honor & gloria; omni veneno potentiùs sæuiūt aurum & opes.

Quid his immoraris tam citò perempturis? quid amplecteris tam sæuùm præmiatura? quid deligis ęternùm sæuitura? quid ambis ignibus perennatura? ne fide. sæua nimis æternitas momētanea hac mollitie, auro, purpura tegitur. ne crede, sub ceruſſato honoris & opum vultu, sub purpuriſſatis voluptatum labris venena latent perennatura. ne sequere. mors in amplexu est, & mors æterna. sola fuga salus paratur: victoriæ, triumphi, regna ab hac vna speranda sunt. fuge nocitura. quo citatior, eo fuga certior, tutior. sed & flecte hic insolentem car-

carnem, doma, vre, seca, ne æternùm tormenta sęuiant vana pœnitudine. Subtrahe proinde prauo illius affectui fomenta, ignibus pabulum: voluptatum, honorum, opum quanto plus ingesseris, tanto plus pœnarum substruxeris. remoue materiam ignibus si restinguere incendia paras. flammas amat qui alit, qui cùm potest non retrahit vstulanda, qui suggerit noua, oleum camino, ligna fornacibus. Et ferenda fòrs hæc, si commensurarentur voluptatibus, honoribus, opibus ignes: sed cùm æternare hos, pro fugitiua & momentanea illorum fruitione videmus, quis prudens peritura deligat vt ardeat æternùm? miseranda conditio! æternitas tam vili parata; insana fatuitas! tam paruo quę tormenta accersit ęternatura. fuge quisquis sapis materiam ignium, & ignium ęternorum. pelle hęc pœnarum pabula & pœnarum ęternarum. serò fugam cogitas

ignibus

ignibus adiudicatus, ferò fastidisin-
centiua pœnarum, pœnis immersus.

Ergo dum licet & permittit ętas, perde qui sanguini insidiantur tuo, calca qui te proterunt; iugula priusquam inimicum haurias ferrum, prudentis est prœoccupare hostem, & anteuertere inimica consilia. ille sapiens est qui prouida dispicientia longè antè prœuidet & cauet nocitura, qui hostiles conatus sagaci præuertit prouidentia; qui obuiàm it aduersariis molitionibus, nec aut fiducia sui, aut contemptu hostis, aut inani meliorum spe delusus, seriùs ingemiscit accepta damna, nulla arte, consilio, viribus reparanda, maximè si ęterna. Quo loco illum habeas qui deliberationem reiicit in exilium, in exercitum cæsum, in recisas ceruices, in crucem, in laqueum? idem de tę cogita, qui consilia vitæ melioris coniiciis in serum diem, in sententiã iudicis, in nunquam moriturum ignem: qui immersus opibus, honoribus, voluptatibus,

tibus, inermis inter armatos validè hostes, arma circumspicis tutelaria, quibus te spontaneus exuisti. auxilia speras inimico nudus cinctus ferro? antè oportuit. Et hoc demũ sapere est; fugere dum patet via; arma parare, consilia expedire, munitionibus incumbere, dum tempus & res ferunt. ita facias. nec timueris ignes, non imitantes dęmones, non supplicia sæculi alterius, non vultum iudicis, non quidquid ibi magnitudine & æternitate sua magnum.

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN